



Disputatio juridica exhibens periculum observationum apologeticarum pro fictionibus juris civilis Romani

<https://hdl.handle.net/1874/295249>

10.

DISPUTATIO JURIDICA,
EXHIBENS
PERICULUM
OBSERVATIONUM APOLOGETICARUM

P R O
FICTIONIBUS
JURIS CIVILIS ROMANI,

Q U A M,
ANNUENTE DEO O. M.

Ex Autoritate Rectoris MAGNIFICI

ALEXANDRI PETRI NAUYS,

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medic. Botanices,
Chemiae atque Physiologiae Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICAE decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
Privilegiis rite ac legitime consequendis,*

Publico examini submittit

J A N H I N L Ó P E N,
R H E N O - T R A J E C T I N U S.

Ad diem XXI. Junii MDCCCLXXX. H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM,
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXX.

VIRO
SPECTATISSIMO
FLURIMUM. VENERANDO
JACOBO. HINLÖPEN
PURIORUM. SACRORUM
ANTISTITI
RHENO - TRAJECTINO
P A T R I . O P T I M O
NUMQUAM. NON. COLEND. SUSPICENDO
HOC
PERICULUM
OBSERVATIONUM. APOLOGETICARUM
PRO
FICTIONIBUS
JURIS. CIVILIS. ROMANI
ACADEMICAS. SUAS. PRIMITIAS
OBSEQUII. GRATIQUE. ANIMI
CAUSA
D. D. D.
J A N H I N L Ö P E N

VI
STATO TASSIMO
TERRIMUM AENAEANO
LAICO. HENILOPEN

ПАЛАТИНО

NUMERUM MON. COTUNDI. SUSPENSIO

HOE

PRECORUM

ALLEGORIAS. ALLEGORIAS.

CLL

INCUNAB

LITERA. CHIRIA. ROMANI

ACADEMICA. SOVE. SEMINARI

ANAGRAM. GRAMMATICA. ANAGRAM

CARTA

DATA. D

ИЗОЛЯЦИИ

BENEVOLO LECTORI

S.



b eo tempore, quo animum ad Civilem
Jurisprudentiam appuli, Juris Romani
æquitatem quammaxime miratus fui; ne-
que leve hujus æquitatis argumentum mihi
præbere semper visa sunt illa, *sive nata quia*
bus sumnum jus corrigi voluerunt Romani. Cum igitur de con-
scribendo specimine academico serio cogitare coepisse, hæc
materies, & utilis & parum tractata, se mihi maxime commen-
dabat; quam ut apte pertractarem agere constitueram — De
origine, causis, natura, utilitate, concinnitate & æquitate Fictioni-
num Juris Civilis Romani. — De Fictionibus a Lege consti-
tutis. — De Fictionibus a Prætore introductis. — De Fictio-
nibus a JCtis inventis. — De nonnullis Juris Constitutioni-
bus, quæ male inter Fictiones vulgo referuntur. — Primum
Caput Typographo jam excludendum dederam, ut ante ferias
æstivas tirocinium in hac Academia ponerem. Brevi tamen
animadverti rem mihi ex voto non cessuram, propter operarum


labo-

BENEVOLE X E C T O R I

laborem in Commititorum Diatribis occupatissimum, & mea Disputationis, licet jam saepius resestæ, nimiam molem. Protinus itaque consilium mutavi, meum opusculum a Typographo repetii, tñæque benevolentia paucas hasce Observationes Apologeticas, satis festinanti manu collectas, submittere malam, quam meam disputationem longius differre. Si autem hoc periculum æquis haruu rerum æstimatoribus (Juris enim Romani contemtores nihil moror) non prorsus displicerit, totam illam Commentationem, cuius jam pleraque apud me perscripta sunt, iisdem offerre ausim.

Atque sic, Benevole Lector, vale, mihique, inexercitato
juveni, fave!

P E R L



PERICULUM
OBSERVATIONUM APOLOGETICARUM
PRO
FIC TIONIBUS
JURIS CIVILIS ROMANI.



illa sane communis humanarum rerum solet esse conditio, ut nullum institutum sit absolutum, perfectum aut ab omni parte beatum. Quæ enim ab hominibus proficiuntur, illud humanæ imbecillitatis vitium continuo produnt. Ipsæ leges, ad communem salutem ab hominibus inventæ, quamplurimis suis vitiis & defectibus laborant, cum solæ leges naturales, a Deo Optimo Maximo sanctæ, perfectæ & immutabiles sint (1). Illud omnium, quotquot æquitatis laude flou-

rue-

(1) Ait enim Imp., §. II. *Inst. de J. N. G. & C.*: Sed naturalia quidem fu-

A

compl

PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

ruerunt, populorum exempla demonstrant. Nec adeo in obscurro latet causa. Quippe leges, quæ generaliter constitui debent (1), ad singulas hominum actiones non ita applicari possunt (2), ut exinde, propter magnam ipsarum actionum diversitatem, saepe non oriatur iniquitas (3), quando ipsa rerum conditio, aut vi sua, aut propter rigorem Juris, adversaretur aequitati. Huic Juris vitio, ex imperfecta legum natura oriundo, medetur Aequitas, quam ideo Aristoteles, L.V. Eth. c. 10., convenienter επανορθωμα νερης διαιτης vocat (4). Ad eum finem nimi-

constituta semper firma atque immutabilia permanent. Ea vero, quæ ipsa sibi quæque Civitas constituit, saepe mutari solent.

(1) V. L. 8. n. de L. L.

(2) Optime ait Plato in Polit. prope finem: Αδυνατεν ενεχειν προς την μηδεποτε ἀπλα τοι δια πάντος γνησιου ἀπλεν, fieri non potest, ut, quod omnino simplicet, recte se habeat ad ea, quæ nullo modo sunt simplicia.

(3) Vere enim jam olim Syrus servus: *Jus Sumnum, saepe summa malitia est,* apud Terentium, Heautontim. A. IV. S. V. vs. 49.

(4) Propterea Veteres eleganter Astræam & Themidem quasi Jætorum Deas Tutelares effinxerunt. Astræam (*Jus Strictum* scilicet) Virginem quidem exprimebant, sed morosæ & contractæ ad tristitiam frontis. Themidem vero (per quam Aequitatem intelligebant) blandam ac venustam mulierem repræsentabant, quæ, Cœli & Telluris filia, postquam Jovi, secundæ instar uxor, matrimonio juncta fuisse, tres pulcherrimas filias enixa fuerat, Eunomiam, Dicen & Irenen, quas, a Græcis horas vocatas, cum ipsis Gratiis choreas ducere credebant. Illas matris suæ statuæ, junctis manibus, circumstantes v. apud S. Pibium in Them. Dea sive Lege Div., Gronovii Thes. Ant. Gr. V. IX. p. 1139. infeita; De hac Themide Carmen-
ta Libro sing. de Themide seu de ortu Legis æternæ, Marb. Cat., anno 1735
editio,

nimirum necessaria quædam Commenta, sive Fictio[n]es, quibus illud, quod fieri poterat, contra ipsam veritatem existentem representaretur (1), in commune bonum, excogitaverunt æqui Legum Auctores & Interpretes.

Cujuslibet igitur humani Juris Fictio[n]es, quibus Juris summi necessarius rigor lenitur, Æquitati originem debent, adeoque etiam Fictio[n]es Juris Romani: cum tamen semper pro ratione populi differant causæ, quæ effecerint, ut illa Juris æquitatæ magis in hoc jure obtinuerint, quam in alio, non incongruum mihi visum fuit hic etiam breviter illas causas indagare, quæ Fictio[n]es in Jure Civili Romano frequentiores reddiderint, quam in quoquam alio Jure. Causas scilicet voco eas rationes, quæ apud Romanos effecerunt, ut commentis Jus summum corrigerent. Quarum quidem quatuor recensere apud animum constitui. In harum autem utraque priori indaganda causa multum otii mihi facient Joannis Luzac, Joan. Fil., Viri Consultissimi, *Observationes Apologeticæ pro Jureconsultis Romanis*, ad locum Ciceronis in Or. pro Mur.

Cap.

edito, omnium optime egit J. F. Hombergk zu Vach. v. etiam de illa Nettelbladt, *Init. Hist. Jur. Univ.* (Halæ Magd. 1764.) P. I. T. VII. §. 63. p. 47. & L. C. Schroeder Cl. Antec. Gron - Oml. in Or. de Præt. opt. in legibus interpret. *Jur. Civ. custodibus* (Gron. 1765.) p. 2, 3 & 4. De alia Euvriapicis sive Æquitatis statua meminit Codinus, scriptor recentioris Græciæ Constantopolitanus, περι πατριων Κοσταντινουπόλεων, p. 48., de quatribus Orationibus egregie, ut solet, disputavit, Ulr. Huber, in *Ausp. Domest.*, a p. 225. ad 290.

(1) Sit venia verbo hoc sensu minus Latino, quo tamen sèpius uti debimus. in Jurisprudentia enim non pauca vere barbaria verba Interpretum usu adeo sunt comprobata, ut, si illis abstineas, nulli intelligaris.

4 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

Capp. XI-XIII. princ. (Lugd. 1768.), acri judicio & consummata doctrina, uno omnium ore, egregiæ; quas ut tandem, jam dudum impleta conditione, absolvat Vir Doct. vehementer desiderant omnes, qui elegantiorem colunt Jurisprudentiam.

Uti plurimarum rerum, quæ in Jure Civili Romano obtinuerunt, sic etiam ipsam nonnullarum Fictionum causam Religio constituit.

Jam enim ab antiquissimo tempore apud Romanos indissolubili nexu cohæserunt jus Sacrum & Civile, quorum duplici freno hunc populum, ut pote ferocis ingenii & libertatis amantem, coercendum esse sapientissime judicarunt Romulus & illum secuti Reges, viri consultissimi omnis Divini atque Humani Juris, quibus non minimam suæ felicitatis partem Romana Respublica debuit (1). Nulla autem umquam civitas fuit, quæ Deos tam religiose coluerit, quam Romani (2), usque eo apud illos superstitione exaggerata, & cum in privatam bominum vitam, tum in publica consilia (fuit) inducta, ut non queat magis (3). Illorum Religio permultas suas habebat Formulas & Solennitates, quippe quæ ab

He-

(1) Aliam sententiam tuentur Mr. de St. Evremond, *Oeuvres*, Tom. II., p. m. 122., nec non Mr. le Baron de Holberg, *Conjectures sur les causes de la grandeur des Romains*, Leipzig, 1753., qui omnem Romanorum magnitudinem soli ipsorum Enthusiasmo tribuit, p. 4, 5 & 6.; dubitem, num vere; hic saltem Ill. de Montesquieu, Virum omni laude majorem, sequi malui, v. ejus *Considerations sur les causes de la grandeur des Romains &c.* Chap. I. p. 4., Ed. 1770.

(2) v. *Dionys. Halic.*, L. II. Ant. Rom., p. 124., Ed. Sylburg.

(3) v. *Polyb. Hist.*, L. VI. C. 54.

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 3

Hetruscis, earum amantissimis (1), maximam partem petita esset. Quam autem illæ Formulae & Solennitates, ob mutata tempora, in tantum numerum excrescerent, ut omnes simul celebrari non possent, nec tamen Romanæ Politices ratio illa inventa, quibus Plebs in officio contineretur (2), diminuiaut tolli vellet, necessario quædam Commenta excogitari debebant, quibus illæ jam peractæ sivegebantur, quamvis peractæ non essent. Illa autem e Jure Sacro in Jus Civile facillime translatæ fuerunt, propter arctum illud vinculum, quo ambo illa Jura copulabantur.

Præterea, sive Romanos sub Regibus sive florente Republica respiciamus, semper eosdem & religionibus Deorum immortalium & summae Reipublicæ præesse voluerunt (3). Quanta conjunctio inter utrumque Jus exinde orta sit cuicunque patebit, qui tres Juris Sacri partes attenta mente contempletur.

Pontificum enim illa erat *interpretatio*, ut iidem potestatem habebant judicum (4). Neque exigua cum auctoritate Jus Augurum in Republica fuit conjunctum (5). Ipsi vero *Fetiales*, foederum, pacis, belli, induciarum oratores (6), de plerisque Juris partibus judicabant (7).

Quæ

(1) v. *Livius*, *Hist. L. V. C. 1.* & *Festus*, voce *Rituales*.

(2) v. *Heineccii Oratio de Juri præ formularia Veit. Rom. §. XII.* paulo post init., *Opuscul. var. Syll. p. 443.*

(3) v. *Cic. pro Dom. C. 1.*

(4) v. *Cic. de Har. resp. C. 7.*

(5) v. *Cic. de Leg. L. II. C. 12.*

(6) v. *Cic. de Leg. L. II. C. 9.*

(7) v. *Livius L. XXXI. C. 8.* L. *XXXV. C. 3.* Omnem autem patris

Quæ scripsimus confirmare videtur comparatio illius Jurisconsultorum Fictionis, qua gleba, in jus allata, totus fundus esse creditur, de quo lis vindicarum agitatur, cum notissima illa Fictio-ne Fetialium, qua gleba, ante ædem Bellonæ, columnæ imposta, in quam bellum indicturi hastam jaciebant, fingebar hostilis (1). Atque ipsos Fetiales de causa Postliminii judicasse apparet ex Cicerone, de Oratore L. I. C. 40., pro Cæc. C. 43., aliisque veterum scriptorum locis adductis a Retes, Opusc. L. VI. C. 1. §. 7., Thes. Mecrm. T. II. p. 276., & Majans. Disp. XIII. §. 7-11.

Maxime, secundo loco, Fictiones in foro Romano multipli-casse videtur studium extollendi Juris Civitatis Romanæ.

Nimirum, Romulus, incomparabilis ille Romani Imperii conditor, varia hominum multitudine congregata, non solum armis illud confirmavit & auxit, sed præcipue id egit, ut partem imperium tueri posset. Ad hunc finem in devictas Regiones Colonise deducebantur (2). Quo evenit, ut Romanis victoria cum-patrat operam usumque solummodo fuisse in Jurejurando patrando & foederis legibus recitandis, minime autem in denuntiando bello, opinatus fuit Jac. Gronovius, in ann. ad Liv. L. I. c. 32., quem egregie refutavit Barbeirac in Ann. Gallo-Franc. (9) ad Grotium, de J. B. ac. P., L. III. C. III. §. 7. n. 5.

(1) Animadvertisendum tamen est etiam aliquod discrimen inter has obtinuisse. Gleba enim in Fetialium fictione non erat ex terra hostili, sed, aræ imposta, fingebar hostilis. In lite autem vindicarum gleba erat ex agro controverso; Ut hac fictione Jctis non opus esset, qua indigebant Fetiales. In ambabus tamen pars agri fingebar totus ager.

(2) v. Otto, de Ed. Colon., C. 1. p. 6.

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 7

cummaxime professet (1), qua tamen semper debilitabantur Spar-tani & Athenienses (2). Præterea, Jus Civitatis, initio tam facile concessum, postea, regno magis confirmato, non nisi admodum parce distributum fuit bene merentibus Sociis & Coloniis, indignis autem illud ablatum legimus; immo Latinum nec non Sociale bellum de hoc Jure gesta sunt. Varii etiam illius Juris excogitati fuerunt gradus. Inde discrimin inter Colonias Ro-manas, Latinas & Italici Juris. Hæc Jura Civilia, quæ fon-tes totius Juris Quiritium constituant, in quatuor Capita dividi solent. In Jura Commercii, Testamenti faciendi, Connubii & Patriæ potestatis. Inde illa differentia inter res mancipi & res nec mancipi, inter dominium Bonitarium & Quiritarium enata fuit. Omnia autem illa Jura, quæ, a Jure Naturæ diversa, Ro-manis solis priva essent, multas Fictiones progenuisse hic late-probare non aggrediar, cum ea ipsa sint, quorum rigorem Ficti-onibus leniri voluerunt postea Romani. Recordemur solummo-do Fictionem, qua Querela inofficiosi testamenti nitebatur; Fictio-nem, qua pater & filius pro una persona habentur. Recordemur trinas mancipationes. Has autem, cum initio veræ omnino fue-rint venditiones, ad tertiam causam magis pertinere animad-verto.

Hæc

(1) De justitia & utilitate illarum non convenit inter Veteres. Quas enim
damnat *Vell. Patrc.* L. II. C. 15, maxime laudant *Dionys. Halic.*, L. IX.
p. 89. & *Claudius Imp.* apud *Tacitum, Ann.* L. XI. C. 24.

(2) v. Ill. *Holberg d.* l. p. 39—42.

8. PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

Hæc autem tertja causa fuisse videtur ille tenerrimus amor, quo Romani, populus maxime φιλαυτος, Leges & Instituta, a majoribus sibi tradita, conservabat, licet status publicus & mores mutati essent.

Prisci enim Romani antiquitatem proxime ad Deos accessisse (1) credebant, illamque, quo propius aberat ab ortu & divina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernere (2). Hinc omnia illa, quæ ab antiquitate acceperant, tamquam ab ipsis Diis profecta, quam religiosissime custodiebant, Larumque instar celebant, probe scientes cum ipsis Imperii fundamentis etiam suæ magnitudinis fundamenta fuisse jacta (3). Huc respicit notissimum Ennianum illud (4):

Mori-

(1) v. Cic. L. II. de Leg. Cap. 11.

(2) v. Cic. Tusc. Disp. L. I. C. 12.

(3) Veteres antiquitatem plerumque religiosissime veneratos fuisse docet notissimum illud Periandri monitum: Τοις περ νόμοις παλαιοῖς χρεω, τοις δε νέοις (al. εγνώσις) πειθαράσι, Legibus quidem antiquis, sed obsoniis recentibus utere, nec non ultima verba Orationis illius pulcherrimæ, quam pro Atheniensibus habuit Alcibiades, apud Tsucydidem, Bel. Pelop. L. VI. C. 18. Novimus etiam Platonem Scito cavisse: ne priscæ leges immutentur. Sic apud Terentium, Adelph. III. 3. 88., laudatur antiqua virtus ac fides. v. Westerbov. ad b. t. Cf. quoque Cic. V. de Rep. mox laud., qui majorum instituta sacris ceremoniisque retinendis tueri sapientis esse (L. II. de Divin. C. ult.) semper putabat, ut docet Schulting., de Jurispr. M. T. Cic. p. 266 & 267. Illud non minus indicant loca apud Vell. Patrc. II. 116. 3. & Tacitum Ann. III. 55. Omnino de hacre etiam consuli merentur Juret. ad Symmach. I. 23. & Rollin., Hist. Rom. T. I. pref. p. 65. sqq.

(4) Fragm. p. 127. ed. Hessel.

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 9

Moribus antiqueis res stat Romana, vireisque.

Quem quidem ille versum vel brevitate, vel veritate, tanquam ex oraculo quedam effatus esse videbatur Ciceroni (2), addenti, Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri præfuerint, aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent tantam & tam justæ lateque imperantem Rem publicam. Huic sententiæ convenienter monent Paulus, in L. 23. π. de L. L.: Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt, & Ulpianus, in L. 2. π. de Const. Princ.: In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum visum est. Idem hoc multa nec inconcinka illarum Fictionum exempla docent, quibus antiqua Jura, quæ, cum omnia mutata essent, amplius obtinere non poterant, dicitis causa (1), repræsentabant quasi jam obtinuissent. Sic enim, licet rigor patriæ potestatis jam dudum temperatus esset, & veræ illæ venditiones, ex Ro-

muli

(1) L. V. de Rep. quem locum, prorsus egregium, servavit Augustin. de Civ. Dei L. II. C. 21.

(2) Græci dicunt προφυσεως ἔνεκα, prætextus gratia, aut νόμου ἔνεκα, Legis causa; Modestinus loquitur ὥστε χρεῖν in l. 2. §. I. π. qui pet. tut. quod perperam vulgo vertunt puritatis causa, vel, uti in aliis libris est, pietatis vel pravitatis causa. A. Augustinus, Budæum secutus, L. Sing. ad Modest. p. 186., id vertit defunctione; Melius omnino H. Brenckman., religionis solemnitatisque satisfaciendæ causa., v. Diatr. de Eurem. C. XII. §. 18. n. 5. Eamdem formulam Modestinus, l. 13. §. 6. π: de excusat. tut., expressit απαγωγῆς χρεῖν. v. omnino de his formulis Wieling, Lect. Jur. Civ. L. I. C. 4.

10 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

muli Lege, non amplius adessent (1), illas tamen venditiones, a primo imperii conditore institutas, illisque a majoribus traditas, potius *dicas causa* in usu reservare maluerunt, quam negligere. In indicanda tertia hac causa brevior esse volui, cum pertineat ad pensum, quod *Luzac*, *Vir Consult.*, *semet absolutum esse promisit ac recepit*, *d. Obs. C. VI. §. 16.*

Atque hæ sane Fictionum Juris Civilis Romani causæ non improbables traduntur.

Mihi adhuc quartam addere liceat, scilicet præcepta Philosophiæ Stoicæ, quibus plurimi Romani JCti erant imbuti.

Quum enim omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio & disciplina studio sapientiæ, quæ Philosophia dicitur, contineretur (2), Juris disciplinam (non solum) a Prætoris Edicto — neque a duodecim tabulis — sed penitus ex intima Philosophia bauriendam esse (3) existimaverunt JCti Romani, veram, non simulatam affectantes Philosophiam (4). Ex omnibus autem Sectis, quæ Philosophiam cummaxime dispescebat, Stoïcorum formulam plerumque secuti fuerunt, non autem ideo, quoniam hæc homines magis turbidos effecit & negotiorum adpetentes (5). Absit illa Taciti calumnia a veteribus JCtis, quibus nibil huma-

(1) v. Schult. ad Ulp. T. X. §. I. ann. 5.

(2) v. Cic. Tus. L. I. C. 1.

(3) v. Cic. L. I. de Leg. Cap. 5.

(4) v. L. I. π. de Just. & Jure.

(5) Ann. L. XIV. C. 57. hanc rationem *Tacitus*, partium studio ducent, prodidisse videtur: legas modo quæ scribit L. XVI. C. 22.

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 11

humanius, nihil benignius sol ille aspergit umquam (1)! Vero magis similes causas indagarunt E. Otto, in *Or. I. de Stoicorum Philos, Diff. Jur. Pub. & Priv.*, p. 584. & seqq., J. G. Schaumburg de *Jurispr. vett. JCt. Rom. Stoica*, fere toto Cap. 2, & J. Terpstra *specim. Phil. Jur. de Phil. Vett. JCt.* p. 19. & 20. Quorum observationes hic repetere intempestivæ foret diligentiae, cum plura opuscula, hanc rem spectantia, a *Slevogtio* collecta & *Jenæ*, a. 1724., edita, in omnium manibus esse putem. Quamvis autem hujus Sectæ vestigia usquam in Jure Romano reperiri, aperto errore neget *Paganinus Gudentius*, de *ortu & progr. Phil. apud Rom. C. 43.*, quem Cl. Otto, singulari Oratione, (*Diff. laud. p. 562*) pulcherrime refutavit, non magis tamen illorum Juris interpretum laudanda videtur sententia, qui, post *Cujacium*, *Obs. L. XXVI. C. 40.*, sine discriminâ, omnes JCtos e Porticu provenisse afferunt, & ubi vis in Jure Romano illius disciplinæ formulæ indicia inveniunt, vel potius anxie quærunt, v. J. A. Bachius, in *Hist. Jurispr. Rom. L. II S. 2. C. 2. §. 14.* (2) & Putmannus, *Interpp. C. II. p. 9.* Ex *Cicerone, Ep. ad divers. L. VII. Ep. 12.*, saltet patet *Trebatum Epicuro* ad dictum fuisse, neque falso idem concludi posse videtur de *Alfeno Vario*, si ejus *L. 76. π. de Judic.* cum *Goibofredo*, *ad d. l.*, & *Briffonio*, *de V. S.*, *L. XIX.*, voce *particula*, explices (2). Plurimos

tamen

(1) *Bynkershoekii* verba sunt in *præf. Opusc. de Jur. occ. vend. & exp. lib. p. 2.*

(2) Quæ quidem explicatio placuit Ottoni, in *vita Alfeni C. VII. Tom. V. Thes. Juris*, & Terpstra, *l. l. p. 18. in ann. (b)* Stoicis tamen hanc vindicare voluit *Cujacius*, *Obs. L. XXVI. C. 40.*, cuius summi viri sen-

12 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

tamen Jctos Romanos fuisse Stoïcos, negari non potest. Ambo ipsi Sectarum auctores, & *Labeo* & *Capito*, cum quisque Stoicum(1) habuerit præceptorem, hic Ofilium, ille Trebatium(2), Stoicæ formulæ fuerunt addicti (3), qua in re illorum aſſeclæ præceptores suos plerique fecuti fuerunt (4). Magis tamen *Labeo* huic ſectæ adhæſiſſe videtur, quam *Capito* (5), & *Proculejani* quam *Sabiniani*, ſecundum ſententiam *Merillii Obj. L. I. C. 20. 29.* (6). Stoicismum præcipue amplexiſſe fuerunt illi Jcti, qui me-

diam

tentiam eleganter et docte tuitus fuit *J. G. Schauburg*, in *Specim. Phil. Jct. Stoicae*, ex *L. 76. π. de Juſt. poſt. laud. Libellum de Jurispr. Vett. Rom. Stoica*; Et ſane ex utriusque formulæ philoſophia explicari potest hoc dogma de particulis ex noſtro corpoſe exeuntibus, quod tamen non uni vel alteri veterum Sectarum, ſed fere omnibus commune fuisse videtur. v. *Pütmann. Interpp. C. II. p. 9.* Plures de h. lege *V. V. D. D.* allegaverunt *Tydemann.*, *V. C.*, Præceptor non uno nomine mihi venerandus, in *Ulp. Marc. S. I. C. 1. §. II. p. 22.* & *Arntzenius*, vir Consult., in *Mafurio Sabino. C. IV. §. III. p. 33.*

(1) v. *Mascou*, de *Sectis Jctorum C. 6. §. 2. & 3.*

(2) v. *L. 2. §. 47. π. de O. I.*, quam male intellexit *Merill. Obj. L. I. C. 20.* v. *Terpſtra d. L. p. 22. in ann. (i).*

(3) v. *Schauburg d. I. C. 5. & 6.*

(4) v. *Idem*, *eodem Cap. §. 7. & 8.*

(5) v. *C. O. a Boeckelen*, de *div. fam. Jct. C. 2. & 4.*, *Opusc. Slevoget. p. 23. 24. & 41.*

(6) *Proculejanos Sabinianis* hic loci male opponere videtur *Merillius*, *bis Pegasiani*, illi *Cassianis* fuerant opponendi, v. *Terpſtra d. L. p. 22. in ann. (i).*

diam inter utramque Sectam ingrediebantur (1), quos *Herciscundos Cujacius* (2), *Ecclesticos* recentiores vocant *interpretes*, quos tamen alii, *Festo* auctore, melius *Miscelliones* appellare videntur (3). Hinc non raro Stoicæ Philosophiæ indicia occurunt in Jure Romano, quæ omnia sedulo collegerunt scriptores jam all. (4). Unicum hujus rei exemplum proferre luet, cum omnino ad nostram materiem pertinere videatur. Quando Stoici Philosophi rei cuidam definitionem nominis non vere, sed tantum κατ' αναλογίαν competere intelligebant τῷ ΩΣΑΝΕΙ, *Quasi*, semper uti solebant; sic apud *Plutarchum*, *de solertia animalium*, *Opp. Ed. Xylandri T. II. p. 961.* (5), Eutobulus illos spernit, quia dicebant animalia μῆτε θυμόθαι, μῆτε φόβοιςθαι, neque irasci, neque metuere, ἀλλ' ὄσαντε θυμόθαι, νοοῦσαν φόβοιςθαι, sed quasi irasci & quasi metuere, additque, se nescire quid responsuri sint iis, qui animalia etiam non videre, non audire, non vocem emittere, immo non vivere dicerent, sed ὄσαντε βλέπειν, ὄσαντε ακούειν, ὄσαντε φωναν, ὄσαντε ζειν, quasi audire, quasi

vocem

(1) v. *Schaumburg*, d. I. C. 5. §. 3.(2) Ad §. 5. *J. de rer. divis.* ad exemplum Stoicorum propter Servium, ad *Virg. En. III. 68.*, si modo sic ibi legendum sit.(3) v. *Bachium*, *Hist. Jurispr. Rom.* L. III. C. II. Sect. V. §. 3. (ann. p.)(4) Præter hos v. *H. van Hoogwerff*, disp. inaug. de var. Juris Rom. partibus Stoicis redolentibus, *Traj. ad Rh.* 1760.(5) Aliter hunc locum intellexisse videtur *Heineccius*, ad *L. Guliam L. II. C. I. §. 4. p. 113.*, cum omnia illa Stoicis ab Eutobulo tributa fuisse scribat. Num recte, dubitarem.

14 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

vocem emittere, quasi vivere. Quas & respexisse Ciceronem, sunt, qui putant, quando, de Diis locutus, ait (de Nat. Deor. L. I. c. 18.): *nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus: neque sanguinem habet, sed quasi sanguinem;* *huc saltem spectat illud Senecæ, L. I. C. 2. de Ira,* ubi dicit: *Quidquid est, certe non est ira, sed quasi ira.* Hanc locutionem e Stoïcismo in Jurisprudentiam translulerunt JCti; Illud docent Obligationes quasi ex Contractu & quasi ex Delicto, quasi Possessio, quasi Usum-fructus, actio quasi Serviana, res quasi consecrata; Præcipuus tamen hujus locutionis usus erat in Fictionibus, sic, in l. 8. §. 8. π. de poenis, Ulpianus fæminæ quasi servæ poenæ meminit, nec aliter in l. 2. & 10. π. de inoff. test. Marcianus & Paulus parentes qui liberos exhæredaverant quasi furiosos appellant; v. etiam pr. Inst. de inoff. test. Hinc illa locutio a Vett. Interpp. internotas characteristicas Fictionum est relata, V. Leg. Acad. diff. A. Fritschi diff. 7. §. 3. p. 219. Non tamen JCti Rom. Stoïcorum præceptis ita addicti erant, ut omne humanum a Zenone aut Chrysippo alienum existimarent, & coeco quodam obsequio in illorum dicta jurarent. Neque hoc Stoïcis in more positum erat, quippe quibus familiare suisse illud μεσην ὁδον τερπενην novimus. Unde herciscundi a Servio, ad Virg. Æn. L. III. v. 68., appellati faile videntur, nisi cum optimis quibusdam Edd. & Codd. legendum sit, quam Stoïci terris condi, id est. & rel. v. Mascov. de Sectis. C. VIII. §. & in pref. p. 6. & 7., Bachius, Hist. Jurispr. Rom. L. III. C. II. S. V. §. 3. ann., & Tydemann., V. C., in Ulp. Marcel. S. I. C. V. §. 1. ann. Auctoritatis præjudicium, gravi supercilie, semper contemnebant, Senecam,

Philo,

Philosophum vere Stoicum, audias, *Ep. 45.* & *Lib. I. C. 1. de beata vita.* Neque Zeno & Cleanthes, ipsi sectæ conditores, aliud voluerunt, v. *Senecæ Ep. 33.* (1). Ideoque etiam illam sectam, quam, usui rei publicæ accommodatorem, elegerant JCti, deserebant in his, quæ communis saluti, quæ ipsi rationi adversabantur. Hæc est illa *vera & non simulata* JCtorum *Philosophia*, quam jure suo prædicat *Ulpianus*, *I. 1. π. de Just. & jure*, de qua elegantissima Oratione egit *Otto*, *Dissert. p. 661.*, quam autem Philosophiam immerito rident *Turnebus*, *Advers. L. VIII. C. 20.* & *Heineccius*, *Ant. Rom. Synt. ad T. Inst. de Just. & Jure* §. 1. Non omnes affectus contemnebant illi benignioris animi viri; Incestum, communes uxores, infandam παιδερασιαν horrebant, licet non nulli inter Stoicos fuerint, qui illa approbarent, secundum *Otonem*, *de vera Jct. Phil. Diss. f. P. & P. p. 686. & seqq.* Quid autem, si ex Physica Stoicæ Philosophiæ parte aliquid elici posset, quod cum ipsa æquitate pugnaret? Illa, quæ leges Naturæ bona fide credebant JCti, nec mutare poterant, nec tollere. Hic itaque quasdam Fictiones inveniebant, quarum opus suam Philosophiam cum æquitate conciliarent. Nimirum, Stoici, cum timerent argumentum illud, quo colligitur, necesse esse, ut occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur, sec. *Lactant.*, *de falsa sap.*, *C. 18.*, dicebant, foetum in utero ali ac crescere, ut plantam; partu autem editum ab aëre refrigerari ac durari & mutato spiritu fieri animal; v. *Plutarch.*; *de repugn. Stoic.*

Opp.

(1) Idem indicat utrumque exemplum ex *Cic. de Or. L. 1. & de Off. L. II.* depromtum a Schamburg l. l. C. 5. §. 3. inf.

16 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

Opp. Ed. Xyl. tom. II. p. 1052., illumque partem ventris esse, non animal, utque fructus, qui stirpium partes sunt, ubi maturuerunt, defluere. v. *Plutarch. de Plac. Phil. L. V. C. 15. T. II. Opp. p. 907.*
& Sen. Ep. 124. Hanc sententiam, ex Physica Stoicæ Philosophiæ parte desumptam, probabant JCti, qui Stoicos sequebantur, propterea *Papinianus*, in l. 9. §. 1. π. ad. *Falc*, negat illum, qui in utero est, esse hominem, & tantum mulieris portionem esse asserit *Ulpianus*, in l. 1. §. 1. π. *de insp. venire*. Sic tamen in rebus hæreditariis aliisque Juris Capitibus miserrima embryonum erat conditio, neque parva exinde orbatur iniquitas. Quæ autem omnia incommoda JCtis naturaliter ipsi rerum conditioni causam debere videbantur, cum reapse animam *post partum* demum *insinuari* (1) crederent; dum foetus itaque homo non esset, ea quæ hominis sunt, illi competere non poterant. Unicum igitur remedium, quod superesse videbatur, invenerunt JCti. *Partum*, scilicet, quamvis adhuc in utero latentem, *repræsentabant*, quasi *jam natus esset*, addita conditione, *cum de ejus commodo quæreretur*. v. *præter alias l. 7. π. de statu hom.* & *l. 251. de V. S.* Hac autem Fictione ipsa Philosophiæ præcepta cum æquitate conciliabant, & nihilominus illa custodiebant in his, quæ æquitati contraria non erant. Hisce satis demonstrasse mihi video, Præcepta Philosophiæ Stoicæ, a JCtis excultæ, apud Romanos Fictionibus etiam causam dedisse. Cæterum, ab ejusdem Philosophiæ præceptis proficiuntur,

(1) v. *Lattant. de falsa sap. C. 18. & de opificio Dei C. 17.*

ciscitur, quod in querela inofficiosi *furor*, *insania*, *dementia* arguatur, non vero quedam imbecillitas ingenii, decepti patris iracundia aut testatoris error. Stoïcorum enim axioma erat, ὅτι πάντες αθέων μανιαταί, omnem stultum insanire; illud Cicero *Paradox.* IV. C. 1. exponit; sic L. IV. *Tusc. Disp.* C. 24. ait: *Quid? Stoïci qui omnes insipientes insanos esse dicunt — omnes stultos insanire, ut male olere omne coenum, & rel., nec non Seneca, L. II. de Benef. c. 35. omnes stultos insanire, dicimus, nec tamen omnes curamus elleboros. Iram, dicebant esse, brevem insaniam, v. Seneca de Ira L. I. C. 1.* Plura exempla vide apud *F. Richejum, Vind. Præt. Rom. & Jur. Hon.* §. 15. ann. 5.

Enumeratis quatuor illis causis forsitan adhuc una & altera, neque hæc improbabilis, addi poterit, ex assidua Romanæ Republicæ contemplatione petita, sed vereor, ne meo Lectori jam nimis diu hisce immoratus fuisse videar.

Ex iis autem, quæ hæc tenus disputavimus, satis patet, Fictiones illas, quæ Juris summi rigorem leniunt, æquitati originem debere, illasque causas, quæ Fictiones in Jure Civili Romano reddiderint frequentiores, totidem veræ & genuinæ Politices, ipsi æquitati innixæ, effata esse; id saltem sperare ausim. Felicem, si mea spes me non fallat, mi lector, si tua benevolentia juvenili meæ ignoscat audaciæ! Atque sic enim erranti *Tittio* omnem fidem negaveris. Nimirum Virum illum clarissimum, cuius in elegantiorē Juris prudentiam merita, grata mente, suspicio, Praeceptoris sui *Thomasii*, Juri Romano plerumque non leviter infensi, auctoritati nimium obsecutum, cum de Fictionum Romanarum origine & causis agat, non sine animi perturbatione hæc scribere video:

18 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

si tamen acrius instes & omnino causam aliquam impellentem postules, majori forte jure imperitia, aut leges antiquas, licet iniquas aut inutiles, custodiendi pervicacia allegabitur (1).

Quod ad primam, criminacionem dicam, an causam. Quæ erit illa imperitia? ubi illius indicia? — Quod Juris Gentium naturam non intellexerint, respondet *Titius*, illamque Postliminii & Legis Corneliiæ exemplo probari vult. Plura sane Juris loca afferri possent, quæ, Romanos JCtos Juris Gentium non imperitos fuisse, satis clare demonstrant. Neque tamen contendere velim, illos eodem modo de Jure Naturæ & Gentium cogitasse, quo nos de eo cogitare solemus. Illud etiam plura alia Juris loca docent. Quis autem illud a Romanis exiget, qui seculi, morum & religionis diversitatem æquo animo contempletur? Neque aliquid huc faciunt allata exempla. Ponamus, illum, qui apud hostes captivus detinetur, suo jure in Civitatem redire & sua sibi vindicare posse, illumque, si apud hostes moriatur, servum tamen non mori, neque adeo ejus dispositionem antea factam esse irritam.

Illa omnia sint Juris gentium, ita dicti. Quia tamen hic Fictionem adhibuerunt, num ideo Jus Gentium non intellexerunt Romani? Minime. Hic proprii mores & priscæ leges efficiebant, ut aliqua parte illius præceptis obsequi non possent. Servum enim hostium Jure Romanæ Civitatis uti, Romani pati non poterant. Illud horrebat populus ille φιλαυτος & φιλαρχαιος. Cum itaque sumum jus propter captivitatem æquitati adversabatur, Fictionem

(1) V. *Titius disp. de Tit. Rom. not. §^o in concio, §. 40.*

adhibebant, qua illum, qui ex captivitate redierat, fingeabant non fuisse captum.

Num itaque probabilius Fictionum Juris Civilis Romani causa erit *pervicacia leges antiquas, licet iniquas aut inutiles, custodiendi?* Hanc alteram causam suspicatur *Titus;* Antiquas bonasque Leges custodiendi pervicacia sapientis ac prudentis est populi. Et hac parte Romanis profecto omnis laus cedit. Iniquas antem vel inutiles Leges propter antiquitatem Romanos numquam tueri, videmus. Neque hoc docet exemplum Querelæ inofficiosi propter fictum testatoris furorem instituendæ: liberrima enim testandi facultas XII. Tabulispatri familiæ indulta Romanorum ingenio erat accommodata, nec illo ævo, quo illæ latæ fuerunt, speciem imprudentiæ aut iniquitatis habuit (1). Postea tamen furor atque insania quorumdam parentum, *novercablibus delinimentiis instigationibusve corruptorum,* (2) effecerunt ut Prudentes quoddam *εγημα* cogitare coeperint, quo illam licentiam, qua malevoli abutebantur, optime coërcerent. Neque hæc Fictio dementiæ Romanis absurdâ videri poterat, qui nihil fere magis horrebant, quam parentes, qui *naturam vincerent & amorem illum penitus insitum ejicerent ex animo,* & exhædere liberos cogitare auderent; v. Cicero, pro Rosc. C. 19., Justin. l. ult. pr. C. de Curat. furios, Paulus, l. 7. pr. π. de bonis damn., neque *sanum aliquem, credebant, filium facile exhæredare posse,*

v.

(1) v. *Jac. Voorda Or. I. de Rom. prud. in cond. L. XII. Tab. El. p. 309. seqq.*

(2) *L. 4. π. de inoff. test.*

20 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

v. *Sen.*, *L. I. de Clem. C. 14.*; *summum contra honorem ad eum pervenire*, putabant, ad quem hæreditas veniebat, v. *Cic.*, *pro Quint. C. 4.* & plura apud *Val. Max.*, *L. V. C. 9. n. 2.*, *summam vero ignominiam*, si hac privarentur, v. *Cic. pro Domo C. 29.*, ideo tale testamentum *notam* vocat *l. 20. pr. π. de Bon. poff. contra tabb.* & *injuriam L. 8. π. de inoff. test.*; propterea illos detestari videmus furentem *L. Syllam*, v. *Lepidi Or. contra Syll. n. 6.*, *Sall. I. Histor. Fragm.* De ægrotis autem & senibus, qui maxime testamenta faciebant, saepe non benignorem, quam de dementibus, ferebant sententiam; quæ omnia late probavit *Richei. Vind. Jur. Præt.*, a p. 97 — 100. Quantum vero per præcepta Philosophiae Stoicæ etiam hac in re effectum sit, obiter supra jam vidimus. Antiquas autem Leges potius lenire, quam mutare volebant Romanī, & quidem propter justissimas causas, quarum unam & alteram summatim indicavimus, cum de tenerrimo antiqua servandi instituta Romanorum amore agebamus. Cæterum, plurimi Viri Clarissimi errores, quos non paucos offendet, qui attenta mente hunc libellum perlegit, ex impuro illo fonte promanare videntur, quem nobis indicat *Ill. de Montesquieu, de l'Esprit des Lois, L. XXX. C. 14. inf.*, cujus verba hic adscribam: *Transporter dans des siecles reculés toutes les idées du siècle, où l'on vit, c'est des sources de l'erreur, celle qui est la plus feconde. À ces gens, qui veulent rendre modernes tous les siècles anciens, je dirai, ce que les Pères d'Egypte dirent à Solon: O Athéniens, vous n'êtes que des enfans.* Omnes autem illas criminationes, in Jus Romanum satis inconsiderate prolatas, quodammodo tamen limitari voluit *Titius*, scribit enim, *basse suas causas majori FORTE Jure allegari*; num vere, nunc videat lector,

Totum

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 21

Totum vero dignissimum Romanorum Juris interpretum ordinem, quibus antiquitas, quibus ipsa hæc ætas debet optimos illos Juris libros, sine probabili arguento, addita lubrica illa cautione, *imperitiae*, atque ipsos illarum Legum latores stultæ curjusdam *pervicacie* accusare, in turpem levitatis & arrogantiæ notam incurtere videtur.

Atat, quo me inscium abripit Veritatis amor? — *Tullianum* monitum (1) recordatus, festinanti manu, ad definitionem Fictionum Juris Civ. Rom. propero. Nullam nobis reliquerunt ipsi Juris Conditores. Hinc plerique Interpretes, imo qui hanc materiem modo leviter attigerunt, suam sibi fabricati sunt, pro varia, quam de Fictionibus fovebant, sententia, hi magis favorabilem, illi satis odiosam; singuli tamen suam, utpote genuinam, lectori obtrudere conantur. Quam vere igitur jam olim *Javolenus* JCtus, L. 202. de R. J., scripsit: *omnis definitio in Jure periculosa est, parum est enim, ut non subvertatur possit.*

Maximi autem erit momenti, *antequam de illis suscipiatur disputatio*, veram ac genuinam indagare, *ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur*, cum omnes D. D. Virorum errores & dissidia ex male intellecta definitione, tamquam ex impuro fonte, promanarint.

Antiquorum Doctorum (2), *Cyni, Angelii, Baldi, Florentis*

&

(1) v. L. I. de off. C. 2. in f.

(2) Illas exhibet B.C. Zabn, *de Mendaciis L. I. C. 16.*, adhuc alias recentet *Jason*, ad l. 15. de usucap. n. 168.

22 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

& Salycti definitiones posterioris ætatis Interpretibus merito displicuisse videntur.

Non omnino autem contemnenda esse videtur illa, quam protulit Bartolus, ille *Juris Monarcha* & *Auriga*, quo eleganti elogio hunc virum, honoris causa, insignivit illius temporis barbaries, ad l. 15. π. de usucap. n. 21., quam secuti sunt *Mascard.*, *Quæst.* 16. n. 14., *Menochius*, *de Præsumt.* L. I. Q. 8. n. 4. aliique; in illa tamen præcipua deest nota, qua *Fictiones* a captionibus & fraudibus distinguantur.

Hac tamen multo inferior est *Alciati* definitio, in tr. *de præsumt.* n. 3. in pr., qua *Fictionem* ait esse: *Legis adversus veritatem ex justa causa tamquam rei veræ in re possibili dispositionem*, quam amplexi fuerunt *Wezembechius*, ad T. π. de Probatt. n. 15. in f., *Wissenbach.*, disp. 43. ad π. §. 14., *Van Eck*, *Pr. Juris d. t.* π. §. 21. in secunda *Fictionis* definitione, & *Westenberg*, cod. t. §. 28. Qui omnes soli legi adscribunt *Fictiones*, cum paucissimæ *Fictiones* a lege, pleræque autem a consuetudine introducantur, quæ quidem *pro lege* esse dicitur, sed nunquam ipsa lex vocatur, L. 32. §. 1. π. de L. L., & L. 33. eodem, quo viro, præter alia, etiam laborat prima definitio, quam tradidit *Eckius*, l. cit. *Hotomannus*, qui primus materiem *Fictionum* *specialiter* tractavit, *Quæst.* Ill. C. 38., cumque secutus *Hilliger*, ad *Donellum*, L. XIV. C. 19. lit. a, *Van der Muelen*, *For. confc.* p. 722, aliique eas definiunt: *Commenta Juris Civilis ad usum vitæ communis contra naturam rerum contraque veritatem accommodata*; attamen contra naturam rerum nihil comminiscitur *Fictio*, quum ad *advarata* extendi non posse; *verba ad usum vitæ communis*, prout superflua, melius abessent.

Quem

Quem plerunque ducem sequitur Hotomannum, hic merito deserit Ateserra, qui tamen Fictionem a Præsumptione non satis secernit, *Tr. de Fict. L. I. C. 1.*, postea autem, *d. l. C. 4.*, eam magis apte definit: *Juris dispositionem super re certa contra veritatem, quæ est possibilis, & pro veritate habetur.*

Nimis, me judice, peccat Bachovius, *de Att. disp. III. §. 16.*, cum ex Corasio scribat: *Fictio est falsi pro vero assumptio; non enim opus est, ut moneam, illam rectæ definitionis requisitis non satisfacere, sive, ut Logici dicere amant, adæquatam non esse, cum omnibus Cautionibus & Eurematibus, immo ipsi mendacio, errori & fraudi, conveniat.*

H. Hahnius ad Wesembecium aliam hanc tradidit definitionem: *Fictio est juris Constitutio, qua fingitur id contigisse, quod minime contingit, vel id non evenisse, quod evenit, de qua Sibrandus, Disp. Class. 6. merito ait, sine suffragiis aliorum & nostro hic frustra est in emendando Wesembecio Hahnius.*

Naturam autem Fictionum *Voetiana* definitio, *ad tit. n. de prob. §. 19.* tradita, haudquaquam demonstrat, sed ipsam potius illarum causam.

Magis autem a vero aliena est illa, quam excogitavit *G. G. Titius*, *Dispp. Jur. disp. IV. 56. p. 146.*, qua ait fictionem esse: *Assumptionem falsi pro vero scienter & aperte factam, mediante qua, ultro dispositio aliqua legis proponitur.* Cum ipsas Fictiones *Juris Rom.* *inutiles & inconcinnas* esse ostendere vellet *Titius*, ingeniose satis quandam verborum σύρφων invenit, ex qua omnia postea evolvit, quæ si vera esset definitio, ut eam vocare maluit, *Fictiones* *sane & inutiles & inconcinnæ* essent. *Præcipua definitionis vis in voce ultro est po-*

24 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

sita. Ante omnia enim id egit Vir. Cl., ut ostenderet, nullam necessitatem Fictiones postulasse, ideoque illas prorsus inutiles esse. Hujus autem sententiæ falsitatem, quæ, indicatis Fictionum origine & causis, jam patebit, postea clarius ostendendi magis apta dabitur occasio, cum de Fictionum Juris Civ. Rom. utilitate agendum erit. Quid autem? Fere semper de Imperante & Legislatore loquitur *Titus*; plerasque tamen Fictiones introduxit tacita consuetudo & forius, quod ipse animadvertisit §. 5. in f. p. 146., ideoque etiam hic aptius de *Juris*, quam de *Legis* dispositione locutus fuisset. Quod autem legis dispositio *assumit*, semper *scienter* & *aperte assumere* debet, quare igitur hæc huic definitioni addenda fuerint, non video.

Aliam, & pulcherrimam sane, definitionem dedit *Schulting*, *Thes. Dec. 27. Th. 10.*: *Fictio Juris est, qua jus constituit, ut id, quod revera falsum est, sed per naturam verum esse potuit, quasi verum habeatur.*

Neque huic dissimilis est illa, quam *Luzac*, *Obs. Apol. p. 1. C. 4. §. 5.*, tradidit, *Fictio est veritatis, quæ existere potest & stricto jure existere deberet, contra certam veritatem existentem, representatio, lege aliqua aut consuetudine legitima introducta*. Si vero huic definitioni post *rerepresentatio* quis inseri velit hæc verba, *stricti juris corrigendi causa*, equidem nullus refragabor, cum hæc nota ad *characteres* Fictionum Juris Civ. Rom. characteres quammaxime pertineat, nec tamen, nisi fallar, illam per se satis clare exprimere videantur illa verba & *stricto jure existere deberet*, quæ magis aliam, eamque optimam, Fictionum Juris Civ. Rom. characteristicam notam respiciunt.

Priscis

Priscis Romanis auribus magis grata fuisset *Commenti*, quam *Fictionis* appellatio (1), quum autem *Paulus JCtus*, in *l. i. §. 1. & l. 18. π. ad L. Falc.*, nec non in *l. 15. π. de usurp.*, hac uti maluerit, omnesque, qui jura interpretati sunt, illum sequi fuerint, hic tutius tritæ viæ insitam.

Fictionem a fingendo descendere, non opus est, ut moneam; *Fingere apud Romanos erat ingeniose aliquid excogitare & formare, non vero mentiri* (2), si *A. Schorūm, de Phras L. L. G., Scio-
pium, Obs. L. L. & O. Gifanum, Obs. L. L., Thes. Verwejano*

p.

(1) Sic apud *Terent. And. I. III. 20. Atque ipfis quidem commentum placet.* & *Cic., L. II. de Nat. Deor. c. 8.*, *Opinionum commenta delet dies. Fig-
mentum vero non est optimæ Latinitatis. Stephanus tamen ex Cic., L. II. de
Orat. C. 45. illud defendit. Licet autem Lyttletoni, aliæque Editiones
ibi figmentum legant, antiquæ tamē Edd. Ascensii, Aldi, Sturmii, Go-
dofredi & accuratissima Gruteriana, omnes habent pigmentum. Asconii autem
locus, in pr. Comm. in III. Or. Cic. contra Verr., Scipio, Infam. Fam. p. 89.
& de Stil. Hist. 143., aliisque suspectus est, dum constet, posteriores Asconio
multa de suo alleviſſe. Calepinus quidem provocat ad Plinium, X 54., ibi tamē
Frobeniana aliæque antiquæ Editiones habent Finetum, v. Cell. Antib. b. v. An-
tiquiores, qui hoc verbo usi fuerunt, non sunt, quem Gellius & Apulejus
sec. Cell., d. l. & Nolben., Lex. Antib. Ind. Etym. post. b. v. Aenei autem,
quod vocant, saceruli scriptores hac voce s̄apius utebantur pro Commento,
Macr., L. I. 3. de somn. Scip., Min. Fel., C. II., Laſt., L. VII. C. 22.,
*Tertull., Ref. carn. C. XXX. & Spart., in S. v. C. XXI.**

(2) Illam significationem cummaxime probare videtur locus apud *Juſti-
num, L. XXV. C. III. n. 3.* ubi male aliam vocem reponit Schefferus, n.
adn. *Greviana ad illum locum.*

26 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

p. 141., 29 & 130. audias (1), si vero C. J. Scaligero, de causis L. L. C. 87., fidem non negaveris, est: *imitatione exprimere rem veram* (2); Notatio autem, quæ Vossio, in Etym., vel a πηγω seu πηγων, vel a φεγγω placebat, Scaligero etiam placuit a φεγγος, detraicta aspiratione. Scaligeranam significationem sequitur Sanctius, in Min. s. de caus. L. L. L. I. C. 3. hac parte dissentit tamen egregius Sanctii Commentator J. Perizonius ibid. ann. 2. Tres ejus significationes in jure indagavit Briffonius, de V.S., L. VI., quartam, ex l. 8. & 19. π. de Leg. Corn. de fals., eruit Bynkersh. Obs. J. R. L. IV. C. 21. Ex iis saltem quæ de hoc verbo annotavit J. Richei, Vind. §. 14. p. 79. & seqq., patet, plerumque Romanos hanc vocem usurpasse, ubi nihil falsi cogitare licet.

Fictionum notæ vulgo Vett. Juris Interpretibus audiunt hæc: videtur, creditur, censetur, intelligitur, habetur, pene, perinde, quodammodo, quasi & alia; Fictionum Synonyma autem Commentum, Imago, Color. v. Fritsch Dif. Leg. Acad. Diff. 7. §. 3. & 5. Hæc tamen omnia caute sunt accipienda, cum Juris ocellus Bartolus & subtilissimus Jason, quos fundamenta fictionum probe jecisse gloriatur Sybrandus, in pref. disp., hac arte non raro macilentas quasdam Fictiones extorqueant, ubi nihil minus cogitaverunt Jcti aut Imp., v. Titium, V. C., §. 1. de nat. & inconc. Fict. Plerumque vero fingere & credere synony-
ma fuille, Richei, Vind. §. 14. p. 80., probabiliter indicavit.

Nunc

(1) Hos sequuntur Nolben., Lex. Antib. Ind. Etym. b. v. & Ker Sel. de L. L. Obs. L. I. b. v.

(2) *Fingere* est formare manu, aut ingenio excogitare rem novam, v. A. Pop-
ma, de differ. verb. L. II. b. v.

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 27

Nunc autem animnm, omni præjudicata opinione liberum, ad Naturam & Indolem Fictionum Juris Civ. Rom. advortamus!

Multa, ab antiquis *Doctoribus* compaæta, inveniuntur *Brocardica*, quibus naturam & indolem Fictionum juris Civilis Rom. explicare solebant, quorum plurima præter alios, collegerunt *Zahn*, *de Mend. L. I. C. 16.* & *Titius*, *in d. disp.* Attamen saepius illa *Brocardica*, e peculiari quadam materie desumpta, universalem illam applicationem non patientur, & sic illa sibi invicem non raro sunt contraria. Hinc multis inanibus subtilitatibus, multis distinctionibus, limitationibus & quæstionibus causam dederunt. Quapropter ista ommittenda putavi. Licer enim hisce *Brocardicis* illius sæculi homines delectarentur, nostris tamen hominibus, delicioris quippe palati, non valde placerent, quibus nimirum *turpe est*, *difficiles habere nugas & stultus labor est* inepiarum.

Illorum loco elegantem *Aelii Donati* locum, qui ad hanc rem omnino pertinere videtur, hic subjecisse, lectori non ingratum fore putavi. *FALSUM est*, quo tegitur id, quod factum est; *VANUM*, quod fieri non potest; *FICTUM* quod non est factum, & fieri potuit. *Vel*: *FALSUM est* fictum mendacium simile veritati; *VANUM*, nec possibile, nec verisimile. *FICTUM*, totum sine vero, sed verisimile. *FALSUM loqui*, mendacis est, *FICTUM*, callidi, *VANUM*, stulti. *FALSUM loqui*, culpæ est, *FICTUM*, virtutis, *VANUM*, recordiæ. *FALSI* decipiuntur, *FICTIS* delectantur, *VANA* contemnimus. Quæ verba leguntur in *Ael. Donati Comm. ad Terent. Eun. I. II. 24.*

Itaque potius, secundum traditam definitionem, naturam &

28 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

indolem Fictionum Juris Civ. Rom. indagemus.

Statim quidem nobis semet offert illa Characteristica nota, quod Fictio Juris C. R. *aliquid repræsentet*, quandam nobis sifstat imaginem, sive sola mentis cogitatione, sive per symbola actusve externos. Hoc V. C. locum habet in imaginariis illis ventionibus, ubi æs appensum veri pretii loco est; illud autem in querela inofficiosi, ubi insania testatoris fingitur effecisse ut inofficiosam condideret testamentum. Hac ratione Fictiones optime discerni possunt a comparationibus & rebus similibus.

Fictio autem repræsentat veritatem (id est rem, vel factum), quæ existere potest & stricto Jure existere deberet. Res enim & factum debent potuisse esse & evenire. De hac Fictionum nota nec veteres, nec recentiores juris Interpretes inter se conveniunt. Aliter Bartolus, aliter Jason. Uterque suos habet defensores. Hinc sane valde ridiculæ subtilitates & distinctiones fuerunt exortæ; de quibus v. Titium, d. l. §. 49. & 50. Ipse Vir. Cl. autem contendit, Fictionem super impossibili locum habere. Putat enim, perinde esse sive hoc quæras, num Fictio sit Fictio; cum omnis Fictio sit contra veritatem & fingat aliquid esse, quod non est, aut non esse, quod est: Ergo Fictio cadit super impossibili. Nam impossibile est idem esse, & non esse, v. Tit., d. l. §. 41. Ad hoc argumentum mihi breviter hæc respondere liceat. Non recte Vir Clarissimus indolem Fictionum hac parte intellexisse videtur. Si eodem tempore & loco idem esse & non esse fingeretur, sane fingeretur aliquid, quod fieri non posset; si, V. C., in querela inoff. pater eodem illo momento, quo filium impie exhaeredabat, fingeretur & sapiens & despiens fuisse, quoddam

aper-

aperte *advocatos* fingeretur. Verumtamen in Fictionibus longe aliter haec obtinent. Fictiones enim illud, quod illo momento extiterat, repræsentabant, quasi non extitisset, & illud, quod non extiterat, quasi extitisset. Nam utraque illa Veritas, illa scilicet, quam repræsentat Fictio, & illa, contra quam introducta est Fictio, eodem tempore & loco non *creduntur* existere. Prior illa veritas removet alteram. Illa hujus locum occupat. Eodem exemplo utamur! Pater, qui testamento suo, sana mente, condito, sine justa aliqua causa, filium suum exhæredaverat, postea singitur toto illo temporis intervallo, quod impenderit ad solennem illum testandi actum celebrandum, insanivisse. Quo titulo, quidquid egerit, tamquam ab insano actum, rescindendum est; non enim sola inofficioſa Institutio, propter hanc fictionem rescindebatur, sed ipsa Legata & Fidei-commissa corruerant; totum illud testamentum propterea rescindebatur. Neque illo intervallo in Jure haberi poterit sanæ mentis fuisse, quomodo enim testamentum totum rescindi potuisset? Sed illo temporis intervallo pater non sanæ mentis fuisse singitur, quippe qui vere dementis homicis instar egisse videretur. Neque illud erat *advocatos*. Nihil enim in rerum natura obstat, quo minus pater insanæ mentis esse potuerit; cum eadem ratione insanire potuisset, qua sanæ mentis compos erat. Hæc quæſtio igitur non erit *Domitiana quæſtio*. Si enim hac parte omnes Juris Civ. Fictiones contemplemur, semper animadvertemus illud, quod quæque repræsentat, vere existere potuisse. Numquam enim aut Lex, aut Legitima Consuetudo aliquid singebat, quod Naturæ vires superaret; Hæc nimirum non solebant *tav* *advocatos* egere.

30 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

Quam maxime igitur hac parte peccat *Hotomannus*, *Quæst. Ill.* Q. 38., quando *Fictiones esse*, dicat, *contra naturam rerum*, quod jam obiter annotavi, cum illius definitionem recenserem; totam hanc rem pulcherrimo exemplo ex comparatione *L. 26.* de *Cond. Instit.* & §. 9. *Inst. de hered.* *inst.* porro illustratam vide *apud Huberum*, *Præl. ad Tit. π. de præsumt.* §. 22.

Non autem sufficit, Veritatem, quæ fingitur, locum habere potuisse, sed præterea ex omnium genuinarum Fictionum consideratione mihi patere videtur, *Fictiones nullas ab jure Romano fuisse admissas*, nisi ita comparatas, ut, si illud, quod fingeretur, vere extitisset, secundum juris analogiam id ipsum obtinere debuisse, quod nunc per Fictionem efficiebatur; Nec mirum. Absurdum enim fuisset ea inventa, quæ æquitatem ubique in Jure Civili restituerent, ipsius Juris Civilis analogiæ adversari.

Præterea, in Fictionibus observamus, imaginem semper esse contrariam rei; Illud enim, quod existere potest & ipso Jure existere deberet, repræsentant *contra ipsam veritatem existentem*. V. C. qui Jure Postliminii in patriam redibat, fingebar illam numquam deseruisse, nec in hostium servitutem redactus fuisse, quamvis contrarium satis liquido constaret. Hac ratione Fictiones optime distinguuntur a Symbolis. His enim illud, quod reapse non existit, repræsentari non solet, sed Veritas, quæ existit, occulto quodam modo denotatur, v. *Otto, Jurispr. symb. Exerc. I. C. 2.*

Illa autem *Veritas*, contra quam introducta est Fictio, debet esse *certa*; Hoc luculento exemplo demonstrat illa *JCtorum* Fictio, qua nondum editus pro jam nato habetur, cum de ejus

com.

commodo quæratur; illum enim, qui in hac Fictione singitur jam natus fuisse, constat nondum natum fuisse eo tempore, quo fingebar, cum adhuc in matris utero latuerit. Hac ratione etiam Fictiones differunt a Præsumptionibus, quæ plerumque probationem in contrarium admittunt. Dissentit tamen hac parte Richei, egregius ille Prætoris Romani vindicta. Etenim in §. 14. *Vind. Præt. Rom.* hæc scribit: *Præterea antiquæ illæ Fictiones, si recte astimes, sunt meræ veritates, ut hodie vocamus, probabiles.* & in adn. 2. ad b. §., patet etiam, frustra Doctores litigare de differentia inter Fictionem & præsumptionem, quum utraque spectet ad id quod est verosimile, pessime autem de iisdem pronunciaſſe fac. *Cujacium*, in *Comm. ad l. ult. π.* quod metus causa gestum est, quo cum tamen plerique omnes faciunt. Verba Cujacii hæc sunt d. l., T. II. Opp. q. e. v. p. 148: *Præsumptio verosimilis est, probatio necessaria. Fictio aliud quiddam, quam præsumptio, Fictio postlimii, Fictio Legis Corn. Fingimus ea, quæ non esse scimus. Præsumimus ea, quæ vera esse arbitramur, ducti probabilibus argumentis.* Et quidem vere Cujacius, quem plerique omnes recte omnino sequi videntur. Fictiones enim & Præsumptiones quam maxime inter se differunt (1). In Præsumptionibus, probabilibus rerum notis colligimus, aliquid factum fuisse, quod verosimile est, factum fuisse. In omnibus autem Fictionibus, certissime scimus, illud, quod singitur extitisse, non extitisse. Quomodo itaque Fictiones probabiles Veritates audient? Num ille probabiliter dici poterit vivere, quem certo scimus, nondum natum fuisse, sed adhuc in matris sinu abscondi? Num probabiliter credemus, aliquem fuisse

mor-

(1) Quam differentiam non satis feliciter indagasse videtur *Etius*, d. l. §. 68. & *sqq.*

§2 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

mortuum illo momento, cui scimus, ipsum per longam annorum seriem superstitem fuisse? Illa tamen est Fictio Jētorum. Hanc vero aperte Legis Corneliae Fictionem in Jure appellari, novimus. Hæc cīne igitur dicemus verosimilia, quæ, scimus, ipsi Veritati esse contraria? Nec tamen etiam hac ratione sibi satis constare videtur *Richejus*, cum enim hoc loco, omnem differentiam inter Fictiones & Præsumtiones sublatam, velle videtur, in §. seq. tamen aperte inter utramque distinguit; ibi enim de Querela Inoff. scribit: *Attamen bæc, non ut Fictio, sed tamquam probabilis præsumtio æquissime inducta est.* Velle, apte secundum suam sententiam Fictiones J. C. R. definivisset, nec dubito, quin suum errorem protinus intellexisset egregius Juvenis. Nimio tamen suo vindicandi ardore deceptus fuisse videtur. Omnis enim, quod suspicor, erroris causa a perversa, quam de Fictionibus sovebat, opinione profecta fuit; verebatur nimis, ut Fictiones Juri Prætorio, cuius vindicias agere cooperat, non levem maculam adspargerent; ideoque illas, quæ Prætoriæ arguerentur, omni opera evellere conatur. Male omnino, cum ipsius Juris Prætorii æquitatem cum maxime vindicent. Nimis tamen acerbe in hunc Juvenem invehit *Heineccius*, *Vir. Cl., Hist. Jur. R. L. I. C. III. §. LXX. ann. 1. prope finem*, quem ideo acriter merito reprehendit *Ritterus*, *9Ct. & Antec. Witeb.* Hac tamen parte *Richejum*, cuius vindicias ubicumque agit, tueri noluit *Ritterus*, quam his verbis suam finiat defensionem: *a veritate autem probabili si abstinuisset, forte nulla literatissimo auctori (Hein.) data esset ridendi materia.* *ibidem.* Cæterum, illud saltem juveni indulgeamus, quod ipsi *Justiniano* evenisse novimus; v. *Noodt de pactis & transact. p. 487.* Neque

etiam

etiam in *I. un. §. 13. C. de rei. ux. aff.* Fictionis & Præsumptionis fines bene rexisse videtur Imperator.

Semper autem Fictiones *Jus sumnum corrigere* solent. Ad eum finem nimirum sunt introductæ. Illa Characteristica omnium Fictionum nota quam clarissime apparet in Fictionibus Juris Civilis Rom.; Cum enim *Jus illud priscum Quiritium*, *fæcias populi animo accommodatum*, multum rigoris olim haberet, & plurimis subinde subtilitatibus refertum esset, Fictionum ope sæpius pulcherrime justitiam & æquitatem conciliari videmus. Sic enim antiqua Civitatis, Testandi, Usucaptionum, Dominii Jura, prudentibus Legislatoris & juris Interpretum Fictionibus lenita videmus. Et hac parte quammaxime differunt a Mendaciis, quod egregie ostendit *Huber.*, *ad tit. π. de inoff. test. n. 4.*

Ad genuinas Fictionum Juris C. R. notas etiam omnino hoc pertinet, quod *a publica Lege aut legitima Consuetudine* sint introductæ, neque, fraudum & captionum instar, bonas leges tecte aut subdole eludant. Ita enim Lege publica constituta est Filio Cornelio. Ita Publicianam Fictionem Prætor introduxit. Ita denique colorem insaniæ invenerunt Juris periti.

Quum autem *rem ipsam, definiendo*, jam explicaverimus, maximi erit momenti, *eam universam tribuere in partes*, ut *ambigua distinguantur ac regula habeatur, qua vera & falsa, consequentia & repugnantia judicentur* (1).

Scholasticorum more, *Fictiones Juris C. R.* ad decem prædicamenta revocavit *Azo*, Glossatorum propemodum Princeps, quem

(1) v. *Cic.*, in *Bruto C. 41.*, in *Or. C. 4.*

34 PERICULUM OBSERV. APLOOGETICARUM

quæ tamen inelegans & fastidiosa methodus merito plerisque postea displicuisse videtur.

Hotomannus, qui ait, hanc materiem a nemine adhuc specialiter tractatam fuisse, *primus* invenisse videtur illam distinctionem qua *Fictiones* in *quinque* genera dispescit; scilicet eas *versari aut in personis, aut in rebus, aut in tempore, aut in loco, aut in actibus*, *Quæst. Ill. Q. XXXVIII.*, quam *Alteserra*, *Tr. I. de Fictionibus C. 7.*, aliique fere omnes Interpretes sequuntur, nisi quod postea *Fictiones* prius divisas reperiamus: *I^o.* in *Affirmativas, Positivas* seu *Inductivas*. *II^o.* in *Negativas* seu *privativas*, *III^o.* in *Translativas*, illasque posteriores demum in *quinque* memorata illa genera subdivisas. Utraque autem illa divisio, nec etiam *satis elegans*, cummaxime repugnat notissimo illi *Logicorum præcepto*: *Recensitorum unum nullatenus contineatur in altero*; quod egregie ostendit *Titius*, *d. l. §. 32. & 33.*

Quid igitur, num *Fictionum* divisionem, tamquam *rem frumentarneam*, rejiciam cum *Titio*, *d. d. §. 31.*? Minime gentium! Hic magis apud me valet *Ciceronis* auctoritas (1) & optimorum Interpretum exempla, quam levis illa *Titii* argumentatio.

Apologiæ pro Jētis Rom. dignissimus Scriptor prius *Fictiones Juris Civ. Rom.* dispartitur *I^o.* in *illas*, quæ, *solenni aliquo actu accedente, celebrantur & in quibus corporalīs alicujus rei præsentia requiritur*. *II^o.* in *eas*, quæ sola mentis cogitatione *constitunt & ad quas perficiendas nullo externo facto opus est*; tum demum *I^o.* in *illas*, quæ certa aliqua *Lege* sunt *stabilitæ* *II^o.* in *eas*,

quæ

(1) *v. Cic.*, *locis mox laud.*

quæ a Judice, publica auctoritate constituto, receptæ sunt. IIIo. in illas, quæ a privatis hominibus, legum peritis, excogitatæ, & longa consuetudine vim Juris natæ sunt.

Cum autem pleræque Fictiones sola cogitatione consistant, illam alteram divisionem hic sequi mallem, quamvis optimam illam priorem nullus improbare ausim.

Pulcerrime hanc divisionem illustrant Schultingii, at quanti Viri! verba in ann. ad *Ulp. T. X. §. I. n. 5*, quæ, nescio, utrum insigni sua magis praestantia, an vero perspicua brevitate semet nobis commendent. Hæc sunt. *Adde, quod leges non soleant inducere Fictiones contra subtilitatem Juris Civilis, sed id patius tollant, quod facillime possunt. Tunc demum leges inducunt Fictiones, quando æquitati obstat veritas & ordo naturalis rerum: — Sed Jurisconsulti & Prætores, cum Jus Civile non possint tollere, Fictionibus egent ad declinandas earum subtilitates.*

Quod igitur ad illas Fictiones attinet, quæ a Lege sunt inductæ. Cum Schultingio & plerisque aliis non dubitarem, quin Lex possit fingere. Fuerunt tamen qui hanc sententiam, plurimorum doctorum Virorum consensu approbatam, amplecti noluerunt, sed omnes Fictiones Jur. Civ. Rom. ab usu fori derivarunt, tamquam Hoheizel, in *Diff. de Fictionibus in cerebro Jctorum natis, & Richei, Vind. Jur. Præt. §. 14.* Etenim, cum ipsa Lege, quæ rem aperte definit, bonis civibus nihil esse possit neque utilius, neque optabilius (1), & judicis arbitrium ad salutem civitatis e foro

judi-

(1) v. *J. Voerda, Interp. L. II. C. 16.*

36 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

judiciisque semper, quantum fieri possit, eliminari debeat (1), patet, quam maxime necessarium esse, ut ipsa Lex sua vitia corrigat; si tamen ipsa veritas & ordo naturalis rerum aequitati obstat, neque aliquid tolli potest, neque aliquid mutari.

*Mονος γαρ αυτες και Θεος σερισκεται
Αγενητα ποτεν δοσ' ον η πεπραγμενα.*

*Re namque sola bac ipse privatur Deus,
Ut facta non infecta possit reddere.*

v. Agathon, apud Aristot. Eth. VI. 2.

Quid igitur? Hoc casu facta fingit infecta, & sic unicum, quod superesse videbatur, adhibet remedium. Neve aliquis objiciat locum Modestini, l. 7. π. de Leg., ubi, legis virtutem, ait, *esse hanc: imperare, vetare, permittere, punire.* In Fictione enim legis Corn. & Postliminii lex imperat, ut jura civis, per captivitatem absentis, pendeant, *vetat*, ne alii in illius bonis, tamquam derelictis, vi sibi jus querant; redeunti *permittit*, ut ita suo jure utatur, quasi semper in civitate mansisset; *punit* autem illos, qui interim illius bona aut jura diminuerint.

Immo disertis verbis in Jure Romano appellatur *Fictio Legis Corneliae*, l. 1. §. 1. l. 18. π. ad L. Falco, l. 15. π. de usurpat. In Jure quidem Romano Legibus vindicantur, quæ Principum Orationibus revera debentur, v. Noodt, ad π. p. 62. & d'Arnaud, Conj. II. 20.

illad

(1) Quod omnium optime demonstrasse videtur Putman. in eleganter & docte conscripto programmate de eth. jud. e foro jud. elim. Lipsiae, 1771.

illud autem, quod Consuetudini debetur, nusquam in Jure, quantum recordor, *Legis* nomine insignitur; aperte hic JCti distinguunt, illamque pro *Lege* esse dicunt v. l. 32. §. 1. & l. 33. π. de *Leg.*, quod supra jam monuimus.

Ne autem illa, quæ probare debueram, consulto subintelixisse videar, hoc unum hic annotare mallem.

Nimirum, præter alios Interpretes, observavit *Majansius*, *Disp. de Postlim.* §. 33., Tom. I. p. 255., multa ad Postliminium pertinentia, & singulariter confirmationem hujus Fictionis Legi Corneliae de *Test.* Capt. deberi, egregio multorum Juris locorum testimo-
nio. Arctissimam profecto quamdam necessitudinem inter has Fictiones obtainere videmus. Sibi adeo connexæ sunt, ut Ro-
mani neutra diu carere potuerint, & hæc sine illa iis non
multum profecerit. Ambæ ab atrocibus & diuturnis Roma-
norum bellis originem suam trahunt. Ambæ captivis Civi-
bus Romanis opitulantur. Neque quidquam, quod sciam, hanc
verosimilem conjecturam evertit. In l. 19. pr. π. de capt. &
postl. rer. *Paulus* ait postliminium moribus & legibus introductum
fuisse. In l. 9. C. de postlim. rer. *Imp. Diocletianus* Postliminium
aperte vocat Legem Corneliam. Scio equidem *Hotomannum*,
ad l. 12. π. qui *test. fac. poss.*, hic αὐτοὶ μηνονοὶ & *Vinnium*,
in *Comm. ad F. quib. non est perm. fac. test.* §. 5., illud inconsiderate
factum fuisse, suspicari. Sed illa hujus legis conciliandæ via
jam olim merito displicuit summo *Cujacio*, ad Pauli sent. L. III.
T. IV. §. 8.; qui putat in h. l. Legem Corn. non ad reversum
filium sed ad patrem referendam esse, qui decepsit apud hostes,
ut in l. ult. C. quibus ex caus. maj. Et sane utramque expli-

cationem facile admittit hæc lex. Pater & in civitate & in captivitate mortuus suisse intelligi potest. Si prius eligamus, in hac lege de solo Postliminio loquitur Imp. sed quid? si uterque in captivitate sit mortuus. Siccine sola legis Corn. de captivorum testamentis agitur causa? Non putem, mi Lector! Neque hæc explicatio fundamentum traditæ conjecturæ subvertit. *Dioctletianus ait: Lex Cornelia reversum suum facit heredem.* Sic quidem filius patri suus heres succedit, quia pater ex lege Cornelia mortuus singitur, dum capiebatur: filius vero reversus, ex Jure Postliminii, mansisse in civitate singitur. Ideoque & hac parte Fictio Postliminii tribuitur Legi Corneliae, quod etiam quodammodo indicare videtur illa l. ult. C. quib. ex caus. maj., a Cujacio adducta. Donec itaque contrarium hujus conjecturæ probabilibus argumentis ostendatur, liceat Fictionem Postliminii ipsi Legi Corneliae tribuere.

Quod ad causam introducendæ utriusque hujus Fictionis spectat, hic mire consentire video plerosque Interpretes, qui hæc latius exsecuti fuerunt, v. omnino Ill. de Cocceji, Comm. ad Grot. de I. B. ac. P. L. III. C. IX. §. 1.

De illius auctore tamen inter illos non adeo convenit. Præter Augustinum & Manutium, Hotomannus, ad l. 12. π. qui test. fac. poss. Vinnius, in Comm. ad §. 5. f. quib. non est perm. fac. test., de Cocceji d. l. §. 10. Comm. aliquie illius auctorem suis- se, putant, L. Cornelium Syllam, neque raro eam ex lege Corn. de falso testamentaria numaria derivant. v. Hein. ad Vinn. d. l.

Attamen quamvis Sylla, cum Dictatura ornaretur, Lege Va-

le.

leria latam illam potestatem (1) accepisset, & multis legibus Cornelii Rempublicam ita constituerit, ut his solutis stare ipsa non posset (2), non tamen omnia saluberrima instituta, quæ a Cornelio nomen acceperunt, soli Syllæ sunt vindicanda. Gens enim Cornelia plurimos Romanæ Reipublicæ dedit viros optimos, præter unum Syllam, quorum tamen omnium nomina nobis non servavit antiquitas. Jam enim diu ante Syllam Romanorum bella hanc Legem efflagitaverunt.

Neque video, quomodo hæc Fictio Legis Corn. *de test. capi-* esse poterit ex Lege Corn. testamentaria, numaria de falso. Quæ enim hujus Legis capita aut additamenta (3) extant in Jure, omnia falsitatem, dolum, fraudem coërcent, neque ullam cum nostra Lege Corn. habent necessitudinem, *V. Bach. Hist. Jur. L. II. C. II. S. I. §. 74.* Ab his maxime alienam sententiam tuetur *Viglius Zuichemus*, Frisiæ suæ nobile decus, qui, in *Comm. ad T. Inst.* quibus non est permisum facere *test. ann. ult.*, illam, utut antiquissimam, a Scipione aliquo promulgatam esse, putat, cum ē³ Scipionum gens Cornelia appellata fuerit, & Marium quemdam *Salomonium* secutus legem Corneliam jam primo bello Punico latam fuisse, suspicatur; *Vigilium* sequitur *Wissenbach*, ad l. ult. C. ex quibus caus. maj.

Hanc

(1) *V. Cic. Agr. III. 2. & pro Rose. Am. C. 43.*

(2) *V. Bacchium, Hist. Jur. L. II. C. II. S. I. §. 73. ann. (m).*

(3) Licet etiam pleraque Legibus hisce Syllanis sensim paulatimque ad dita sint L. L., SCtis, Const. Princ. & Interpretatione Prudentum, de quibus ipsæ nihil cavebant, adhuc tamen Leges Corneliz nihilominus audiunt, *V. Bach. d. l. §. 74.*

40 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

Hanc autem Viglii sententiam rejecerunt J. F. de Retez,
Opusc. VI. XIV. n. 1., Thes. Meerm. T. VI., & Heineccius,
d. l., sed nulla satis idonea ratione usi.

Neque tamen Viglianæ sententiæ subscribere mallem, cum
de ejus manifesta falsitate satis forsitan constabit propter *Livi*
vii verba, quæ, *L. XXVII. C. 21. in f.*, legimus: *Servili-*
um, negabant, jure aut Tribunum Plebis fuisse, aut Aedilem esse; *quod*
patrem ejus, quem triumvirum agrarium occisum a Bojis circa Muti-
nam (1) esse, opinio per decem annos fuerat, vivere, atque in hostium
potestate esse, satis constabat. &, L. XXX. C. 19. latum ad populum
est, ne C. Servilio fraudi esset, quod, patre, qui sella curuli sedisset, vi-
vo, quum id ignoraret, tribunus plebis atque aedilis plebis fuisset,
contra quam sanctum legibus erat. Si enim, primi belli Punici tem-
pore, Lege Cornelia de testamentis & postliminio captivorum
jam cautum fuisset, nunc, secundo bello Punico ad finem ver-
gente, negare potuisse non videntur, illum jure tribunum
plebis, aut aedilem fuisse. Jura enim paterna fuissent sus-
pensa; nec in servitutem hostium redactus fuisse videri potu-
isset ille C. Servili pater; neque ulla lege opus fuisset, qua
ferretur ad populum, ne id filio fraudi esset, contra quam tamen
legibus adhuc sanctum erat. Videtur itaque, etiam Viglii
sententia esse rejicienda; forte tamen hic ipse Livii locus no-
bis viam monstrabit.

Quid autem indicent illa *Livi* verba: *contra quam sanctum le-*
gibus erat, definiri vix potest. Dukerūs, Vir. Cl., ad hunc

lo-

(1) Illud narrat *Livius*, *L. XXI. C. 25.*

locum, postquam Manutii, Hotomanni, Grachii, Pighii & Docti Anonymi sententias recensuerat, tandem ingenue profitetur, se plane illud ignorare; hac tamen addita memorabili clausula: *Quærant doctiores, & simul videant Fcti, an hic aliquid sit, quod ad jus postliminii pertinere possit.* Et sane, uti videmus, hic locus quam maxime ad illam Fictionem pertinet. Dum itaque probabilior adhuc videtur Manutii sententia, quam ipse *Dukerus* non absurdam esse judicat; quid de origine legis Corneliae sentiam, breviter enarrabo.

Cum causa testamentorum & postliminii Captivorum ad Fetiales, quos de jure belli ac pacis aliisque Iuris partibus judicasse, neque a Fictionibus alienos fuisse, novimus, maxime pertinere videatur, putarem ipsos de illis judicare solitos fuisse, antequam Lege Cornelia de his cautum fuerat; atque sic optime explicari possunt *Ulpiani* *verba l. 19. pr. n. de Capt. & postl. rev.*, ubi ait, postliminium *moribus & legibus* constitutum esse. Postea tamen rerum conditio apud Romanos expressam legem efflagitavit: Ex historia enim docemur, Regulum Romanorum ducem, primo bello Punico, post felicem victoriam adversa belli fortuna usum, in hostium manus vivum pervenisse cum multis suorum, illum tamen postea Romanum fuisse missum, ut de permutandis capti- vis ageret, Romæ autem in senatu gravissimis argumentis per mutationem dissuasisse, Carthaginem jurijsurandi servandi cau- sa reversum fuisse, & sævam mortem oppetiisse⁽¹⁾. Sic au-

tem

(1) Vid. *Polyb.*, *L. I. C. 35.*, *Cic.*, *de Off. L. III. C. 6.* & *27. Horat.*, *L. III. Carm. Od. 5.*, *Liv.*, *Ep. L. XVIII.*, *Val. Max.*, *L. II. C. IX. §. 8.* *Flor.*, *L. II. C. II. §. 24.*, *Gell.*, *L. VI. C. 4.*, *Aur. Vit.*, *de Vir. Ill. C. 40.* & *Eutrop.*, *L. II. C. 21.*

tem miserrima erat omnium illorum captivorum conditio, qui pro patriæ & suorum libertate pugnantes suam amiserant, sive redirent, sive apud hostes morerentur. Neque hæc calamitas solos manebat captivos. Etiam ipsorum liberi, uxores & omnia, quæ sua in patria reliquerant, horum malorum necessario fiebant participes. Illud ipsum Servilii exemplum, apud *Livium*, nos docere videtur. Cum autem tot Romani & inter illos non pauci ex nobili & antiqua prosapia oriundi, in captivitatem essent redacti, de ferenda lege cogitasse videntur, quæ de redditu & testamentis captivorum fanciret. Forte ipsius Servilii infortunio hoc effectum fuit. Non raro enim singularem aliquem casum legibus Romanis causam dedisse invenimus: ita nullas rei uxoriae actiones Romæ adfuisse ante Carvillianum divortium, docet *Gellius*, N. A. L. IV. C. 3. Saltem legimus, ad populum latum fuisse, ne patris sui calamitas Servilio fraudi esset. Vero igitur dissimile mihi non videtur, hoc tempore Legem Corneliam de postliminio & testamentis captivorum fuisse latam, atque tum e gente Cornelia splendidissimis in Republica muneribus ornatos fuisse nonnullos, passim ex *Livio* apparet. Lubenter hæc omnia hic loci latius exsequi & probare vellem, sed instituti ratio id vetat. Hæc itaque sufficiant de Fictione Cornelia, quam in exemplum Fictionum Legis adduxeram.

Hoc loco animadvertisse liceat, Legislatorem Romanum semper subtilitates sustulisse, nisi illis populus ita adsuevisset, ut illi magis naturæ effatum quam Juris subtilitas videretur, aut alia Politica ratio id vetaret; tum enim illam Juris interpretibus per sua ~~equa~~ leniendam relinquebat, vera usus prudentia.

Quum

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 43

Quum autem illis Cautionibus omnes, quotquot umquam conditæ fuerunt, leges humanæ, propter humanæ imbecillitatis vitium, semper indiguerint, facillime patet, optimas habendas esse illas leges, in quibus paucissimæ reperiuntur. Hæc autem laus Romanis legibus merito cedit, quippe quarum saltem Fictiones rariores admodum in Jure occurunt.

Plurimas autem invenerunt ipsi Legum Interpretæ, Prætores & Juriscti, qui, cum leges mutare non possent, Fictionibus utebantur, ad declinandas, & eludendas earum subtilitates.

v. Schulting: *adn. ad Ulp. T. X. §. I.*

Ideo enim Prætores in Edictis suis, quæ *adjuvandi, supplendi, corrigendi veteris Juri gratia* sunt comparata, *l. 7. n. de Just.* & *Jure*, itidem Fictiones adhibent, uti *Brenckman.* pulchre disserit, *de Eurem. Diatr. C. I. §. 13. n. 2.* & latius probat *Treckell, de orig. testament. C. III. §. 40.* Maximòpere enim hic errare videntur qui cum *Richejo* & paucis aliis negent Prætores in suis Edictis umquam commentos fuisse. Licet enim Prætores in Edictis sibi parum permittere potuerint, quod eleganter & docte demonstravit, *Vind. §. VI. in ann.*, sèpissime tamen suis Eurematibus prisca Jura adjuvisse, supplevisse & correxisse novimus. Si autem in illis, solam interpretationem extensivam & restrictivam (v. *Vind. §. 16. ann. 3.*) agnoscere velimus, nulla profecto in toto Jure Romano erit Fictio, ne quidem ipsa illa, quam Lex Cornelia constituit, hoc nomine appellari poterit.

Ut unum & alterum ex luculento æQUITATIS Fictionum Prætoriarum argumento præbeamus exemplum, agedum, breviter videamus, actionem Publicianam & Rescissoriam, quibus an-

44 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

tiquarum L. L. de Vindicatione & Usucapione rigorem lenivit
Jus Prætorium.

Etenim cum Jus Civile rei vindicationem soli vero rei domino permittebat, L. 23. ff. de rei vind., illi, qui ex justa causa & bona fide rem alienam a non dominio acceperat, ejusque possessionem, priusquam usuccepit, amiserat, nulla actio Jure Civ. erat prodita, qua illam rem sibi repetere posset. Quod merito durum & iniquum, sec. §. 4. J. de Act., videbatur Prætori, egregio apud Romanos æquitatis statori & vindici. Sic etenim injustus quilibet possessor illi, qui possessionem rei, quam bona fide & justo titulo natus erat, casu amisisset, prævalebat. Itaque hunc defectum Juris Civilis, secundum suum officium l. 7. §. 1. π. de J. J., supplevit Prætor, introducta Fictione quadam æquissima. Nimirum eum qui rem, antequam usucepisset, amiserat, illam jam usucepisse fingebat; ut sic agere posset contra possessorem, qui deteriori jure possidet, ad rem quasi usucaptam restituendam, v. all. §. 4. & l. 1. pr. π. de Publican.

Hæc actio Publiciana appellatur quoniam primum a Publicio Prætore in Edicto proposita est, v. §. 4. I. de act. At quisnam fuit ille Publicius Prætor, cui debetur hæc actio? Siginianus, de Judic. Lib. I. Cap. 17., illam sub Imperatoribus, rerum potitis, constitutam esse arbitratur; Joan. Bertrandus, de vitis Jutorum L. II. C. 16. §. 2., illam refert ad Q. Publicium, apud quem & M. Junium Prætores Cicero se quemdam Macrinum defendisse narrat, vide ejus Orationem pro Clientio Avito Cap. 45., de quo Prætore Publicio v. S. V. Pighius, Ann. T. III. p. 291. Bertrandi sententiam satis confidenter secuti sunt Wissenbach,

Diss.

*Disp. 18. ad π. Tb. 22., Schilterus, Exerc. 16. ad π. §. 65., Beyerus, in Posit. Juris ad tit. Dig. de Publician., & J. O. Westenberg, Pr. Juris sec. Ord. Inst. L. IV. T. 6. §. 32. & Pr. Jur. Sec. Ord. π. L. VI. T. 2. §. 11. & multi Interpp., qui illam actionem sine dubitatione illi adscripserunt. Attamen verosimilius est hanc actionem temporibus Ciceronis anteriorem esse, saltem, quod Siganus putavit, Imperatorum tempora longo intervallo præcessisse. Hanc enim facile crediderim eo usque hunc Juris rigorem intemperatum mansisse; non illud consueverunt Praetores. Has actiones sane jam ante Ciceronem natum Romæ corrupti mores efflagitabant, si Sallustio credas, *Jugurth. C. 41.* *populus* (ait ibi) *militia atque inopia urgebatur*; — *Interea parentes aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur.* Quare igitur id demum ævo Ciceroniano adscribemus? Cum nuspiciam aut vola aut vestigium in Jure aut Historia repeteriamus, ex quo subsidium pro hac suspicione peti possit. *Praestantissimus* & de *Jure Literisque egregie meritus Heineccius* (ut Magni Wesselingii verbis utar) illud responso Cratini, apud Ter., *Phorm. II. 4. vs. 9.* & seqq.*

— — — — — *Quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, aequum est ac bonum:
Et id impetrabis.* — — —

probari voluit; Ibi enim illum *Cratinum* de actione *Re-scissoria*, quam eundem auctorem cum *Publiciana* agnoscere mox videbimus, vere loqui putat, v. Hein., in *Ant. Rom.*

46 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

ad L. VI T. 6. Inst. §. 38. in ann. Licet autem cum Bacbovio, ad T. I. de Att. §. 12., aut Hubero, ad T. I. de spēna tem. lit. n. 5., Comicorum auctoritatem non plane rejicerem, vehementer tamen dubitarem (pace Summi viri dictum siet!) num illa Cratini mens fuerit. Ex Cicerone, pro Flacco, C. 34., & Gellio, N. A. L. III. C. 2., satis patet Romanas uxores potuisse usucapi; verum ad id anni tam anxie impleti usum requiri, ut ne trinoctium ab uxore absfuerit maritus, iidem docent; cum ex Phormione quam clarissime pateat, Antiphonis nuptias modo unum diem ante Demiphonis adventum fuisse contractas. Præterea res sua non erat usucpta. Sed illa omnia sciens prætereo, cum Hein., d. l. ad Vinn., respondeat actionem Rescisoriam male, tamquam rabulam, applicare Cratimum. Præcipua enim dubitandi ratio mihi hæc est. Phormio ludis Romanis quidem acta est, sed fabulam Atticam Athenis repræsentat. A Demiphone in consilium adhibiti illi triumviri sunt Athenienses εξηγηται, v. Petitus inf. præf. ante LL. Att. Jus Atticum hac in re Juri Romano plane contrarium Judices dicunt & Periti interpretantur. Immo, quam hujus fabulæ virtutem mirari non desino, tota Phormio quiddam plane Atticum semper adeo spirat, ut plurimum pulcri, si non omne, illi detrahas, cum Atheniensi huic Caussidico Romanam Jurisprudentiam interpretandam dederis. Ideoque illa responsa ad Jus Atticum referenda esse putem; quod ipsa ratio jubere mihi videtur. Hanc igitur Terentii sententiam fuisse crediderim. Doctrina & ingenio superior Hegio primus a Demiphone rogatur: quid agendum sibi? Hegio non vult Cratino præcedere, qui ætate sibi præcederet. Re-

spon-

pondet Cratinus, sed secundum æquitatem, quod cummaxime patet ex verbis *æquum & bonum*, sibi persuadet Judices in casu Demiphonis secundum æquitatem judicaturos, & sic seni sententiam, quam sperabat, impetraturum esse pollicetur. Hanc æquissimam sententiam rejicere non audet Hegio. Dissentit tamen, & sua response accurate *Leges Atticas* observat (1). Inter Æquitatem & Justitiam, quas ambo tuentur, optionem difficultiam esse ratus Crito, rem in medio relinquit; Atque ita multo incertiores reddunt Demiphonem. Pessimum caussidicorum vitium exemplo horum triumvirorum sic eleganter perstringit *Terentius*. Sed jam satis diu huic loco explicando immoratus sui. Licet autem non lubenter hunc locum Terentii afferrem, tamen non dubitarem Terentii tempore hanc actionem jam fuisse introductam, si non longa ante Terentium annorum serie. Quid, si cum *J. Richejo*, *Vind.* §. 16., diceremus Q. Publilium Philonem, primum ex plebe Prætorem, cuius *Livius*, VIII. 15., meminit, ejus auctorem esse & Publicianam pro Publiliiana esse nominatam? Si verum fatear, hæc pulcherrima *Richeji* sententia mihi semper maxime arrisit. Quum etenim ex supra jam all. *Sallustii* loco (*Fug. C. 41.*) pateat, ditiores Romanos sæpe insana possessiones augendi libidine adeo agitatos fuisse, ut pauperes, prout quisque diviti confinis erat, sive præsentes sive absentes, vi aut clam, etiam ipso usucaptionis abuso, agris aut possessionibus suis pellerent, vel possessionum nondum impletam.

(1) v. *Leg. Att. L. IV. Z. 8. & Petitus, in comm. ad illum locum.*

tam usucaptionem usurpationis deteriori jure interrumperent, & sic potissimum plebem offenderent (1); vero sane simillimum videtur ad tales Prætorem hoc beneficium esse referendum, qui popularis esset. Quidni primum ex plebe prætorem, Q. Publilium Philonem, ambarum harum actionum auctorem fuisse non improbabili conjectura concludi posse videtur? Romani saltem hac Fictione jam olim quam maxime indiguisse videntur.

Eundem certe auctorem habet Fictio, quæ obtinet in actione *Rescissoria*. Licet hic quodammodo hæsitare videatur *Schulting.*, *Theſ. Dec. 19. Th. 1.*; illud tamen vulgo affirunt Interpretes. Tradit hoc vetus Glossarium apud *Briſſen.*, *de V. S. L. XIV.*, *voce Publiciana.*, nec non *l. 35.*, *versu sed cum, π. de O. & A.*, ubi *Gotboredus* pro *sed cum legit sed quæ*, quam tamen lectionem reprobat *Schulting. d. l.* — *Heineccius*, *Ant. Rom. Synt. ad T. Inst. de actionibus §. 28.*, adnotat eam ab eodem Publicio Prætore esse satis etiam intelligi ex *l. 57. π. mand.* Neque tamen id affirmare auderem. Aliter hanc legem vexatissimam explicat idem *Schulting.* qui putat in illa intelligendam esse eandem Publicianam actionem, quæ passim hoc nomine venit, *v. eundem illum aureolum libellum d. l.* Eodem fere modo hanc legem olim interpretatus fuit *Gotboredus*, *Anim. C. XI.* Licet *Cujacius* aliique vulgo dissentiant (2).

Fictio

(1) Hos mores, tamquam vulgatissimos, apud scriptores perstringi, Seneca, Petronii, Salviani, Zenonis Veronensis & Apuleji auctoritate probavit *Richei, vind. d. l.*

(2) *V. De b. l. 57. π. mand.* etiam *J. a Costa*, *ad §. 3. J. de Alt.*, *Eck, P. c.*

Fictio autem actionis Rescissoriae, licet ab eodem auctore profecta, quodammodo tamen actionis Publicianaæ Fictioni est contraria. In Publiciana enim usucapio nondum facta singitur jam facta fuisse. In Rescissoria autem usucapio, quæ jam facta erat, singitur non facta fuisse, v. §. 5. *J. de act.* Hujus enim Fictionis fundamento, I^o præsens, cuius res est usucapta per illum, qui ex quacunque causa abest, v. l. 21. §. 1. π. ex quibus causis maj. II^o. vero ille, qui abest propter justam causam, l. 1. §. 1. & l. 3. π. cod., cuius res per præsentem est usucapta, agunt contra eum, qui usuepit, ut illa usucapio rescindatur & res usucapta restituatur, v. §. 5. *J. de actionibus.* Et sane optime hic Prætor secundum Legis mentem Jus summum correxit; valde enim iniqum fuisset, si alterius absentia præsenti, aut justa & necessaria absentia, *casus unice fortuitus*, ipsi absenti nocuisset; *V. Schroeder, Or. de Præt. Opt. in leg. interp. J. C. cust. p. 32.*

Brevitatis causa hic actionem Paulianam, pulcherrimæ Fictioni innixam, Fictionem cuius l. 65. §. 1. π. de bon. posse meminit, aliasque mitto Fictiones Prætorias, cum ex allatis exemplis jam satis mihi constare videatur de pulchra illarum æquitate.

Ubivis enim in Jure semet *Juris Civilis Custodes*, quo elogio a Cicerone, L. III. de Leg. c. 8., laudantur, præstitisse Prætores Romanos animadvertisimus, ut illos vere omnino vivam Ju-

ris

Pr. π. ad b. t. §. 36., Jenf., Strictr. p. 125., Sammet, Opusc. p. 137., Reinold., Opusc. p. 253., Putman., Preb. lib. sing. C. 1. & Consultif. T. J. A. Pagenstecher, Spec. Acad. de violentis Emendat. in Jure Civ. non admitt. (Harderv. 1776.) C. II. S. II. p. 58—72.

50 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

ris Civilis vocem fuisse dicat Marcianus Jētus in l. 8. n. de just. & Jure;
Neque hic omnes illas moror calumnias , quas in Prætorem &
Jus Honorarium hac parte effuderunt *Thomafius* (1), V.C., & *Hei-*
neccius, (2) quem , ut sæpe alias , præceptoris sui auctoritas in
foedissimi hujus erroris societatem abripuit (3). Illas enim jam
dudum optime repulit *Cl. Schroeder* , *Antec. Gron.-Oml.*, in Ora-
tione de *Prætoribus optimis in Legibus interpretandis Juris Civilis*
Custodibus , a p. 29—32.

Quæ autem in optimas Legum Romanarum constitutiones ,
quæ in æquissima Prætorum commenta , eadem omnes in Jēto-
rum ἐγνωστα criminaciones olim jactatæ fuerunt acerbissimæ &
hoc ævo sæpius repetitæ; Quæ enim duo tresve scriptores , Juri
Romano infestiores , oscitantes hallucinati sunt , illa hodie tam-
quam dictata repetuntur. Præcipue etiam Jētos hac parte ado-
ritur *Thomafius* , *Vir doctus sed volubilis ingenii* , in *nævis Jur.*
Rom. p. 20., in cuius verba confidenter jurare solent plerique
præstantissimi viri , qui ex ejus schola prodierunt.

In eo tamen mirifice sibi placent omnes quod *Ciceronis* auctorita-
tate se tueri posse videantur. Ad hunc enim finem abuti solent
loco illo vulgatissimo , *ex Or. pro Mur.* , a medio C. XI. usque ad
pr. XIII. C. decerpto , ubi in tota illa vitiiorum serie , quam
Jētis exprobat *Cicero* , minimum locum non obtinent *res fiduciae*
& *commentitiae*; quæ omnia mascule amolitus est *Luzac* , in *Obs.*

Apologet.

(1) In *nævis Jurispr.* *Antef.* L. 1. C. 7.

(2) In *Hist. Juris* L. I. §. 68, 69.

(3) v. *Pref.* ante nov. Ed. Rich. Vind.

PRO FICTIONIBUS JURIS CIVILIS ROMANI. 51

Apolog. pro Jatis Rom. contra Cic. pro Mur. Satis enim ex ipsis Ciceronis disertis verbis (1) constat nihil illorum omnium serio animo locutum fuisse. Quam inconsulte igitur Thomasius e-jusque assecræ hoc telum vibrare gestiunt, ut uno iētu suos adversarios profligent!

Cautiones autem maxime ad Jētorum munus pertinuisse optimè docet *Brenckmannus*, Themidi carum illud caput, *Diatr. de Eurem. C. I. §. VI.*, in qua totam hanc Eurematum materiem scite, accurate & eleganter pertractavit; & post illum *Heineccius*, Vir Clar., in *Jurispr. Cavente, Opusc. Min.* p. 316. & sqq.

Neque, quantum scio, quisquam est, qui neget a fori usu plurimas Fictiones profectas fuisse, præter unum *Calvinum*, qui in *Lex. Jur. voce Fictio n. 3.* nullas in Jure Romano agnoscit Fictiones præter Legis Corn. & Postlim. Fictionem, quam suam sententiam non male ipse hæresin vocasse videtur. Multa Fictionum exempla collegerunt *Hotomannus*, *Quæst. Ill. 38.*, *Alteserra*, in *Tr. de Fictt.*, *Noodt Prob. L. III. c. 12.*, *Otto, Dissert. p. 534.* & sqq. aliique. Uterque tamen prior, præcipue *Alteserra*, magis rudem & indigestam molem plurimarum Juris Constitutionum, quarum plerasque male *Fictiones* appellare voluerunt, multo labore coacervarunt.

Ex omnibus autem illarum exemplis, modo sint genuinarum Fictionum exempla, patere poterit Romanos Jctos numquam Fictiones admisisse, nisi illas quæ ipsi æquitati suam debent originem

(1) v. *Cic. de Fin. L. IV. C. 27.*

52 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

sem, v. *Luzac*, d. *Obs. P. I. C. IV.* §. 17. & sqq.; Et sane, quod miror, non video illós vitio creatos censores, qui Jus Romanum ubivis calumniantur, adhuc iniquam aliquam Fictionem adferre potuisse. Neque enim umquam hac parte suum officium transgressi fuisse videntur JurisCti Romani, quod egregie probavit Clarissimus *Schroeder*, *Antec. Gron. Oml.*, in *Oratione inaug. de Jctis Rom. suum in legibus interpretandis officium non transgressis p. 50.* & sqq. Recordemur solummodo illa quæ passim de Fictione insanæ in *Quer. inoff.* annotavimus. Querelam enim inoff. non ex Constitutionibus Principium, cum *Duaren*, ad *T. n. de inoff. test. C. 2.* & *Viglio*, ad *b. t.*, neque ex *Prætoris Edicto*, cum *Pithoe*, ad coll. *ll. Mos. T. XVI. 53.*, derivandam esse putarem, neque etiam ex *Lege Glicia*, quod *Cujacius*, II. *Obs. 21.*, *XIV.*, 14. & in *prælect. Papin. l. 15.* §. 1. *n. de inoff. test.* suspicatus fuit, propter inscriptionem *L. 4. n. de inoff. test.*, ubi tamen cum quibusdam antiquis Editionibus légerè mallem: *Maximus L. sing. ad L. Falc. I.* (ex quo desumpta est *l. 125. n. de leg.* & *fide c. 1.*) cum *Bynkersh.*, II. *Obs. 12.*, *Wieling*, *Jurispr. Rest. p. LXXVI.* & *Bocchio L. II. C. II. §. 79.* Sed illam ab usu fori profectam esse putem; quod egregiis argumentis præter alios imprimis probavit *Noodt*. ad *T. n. de inoff. test.*

Licet plerique Juris Interpretes hunc Querelæ Inoff. colorem Fictionum Catalogo inscribere non dubitent, dissentit tamen unus & alter. Si enim *Galvanum*, Virum eruditum, audias, illa Fictione Legi XII. Tabb. non opus erat, v. ejus diff. de *Uſuſr. C. VIII. n. 13.* & sqq. Hanc autem laudati viri sententiam eleganter refutavit *J. van de Water*, urbis nostræ olim ins-

gne

gne illud ornamentum, *Obs. Jur. Rom. L. I. C. II.* Hoc tamen loco, quod ad unum Galvani argumentum, animadvertisse liceat, Decemviros multas leges & consuetudines patrias ante oculos habuisse, neque adeo Legem XII. Tabb. soli Juri Athen. originem debere, quod tamen multi Interpretes tueri velle videntur, v. de h. re Hein., *in disp. de orig. test. fact.* §. 23. & *Trekell*, *in pulcherrima Hist. testamenti fact.* C. II. §. 6. *in adh.* & C. III. §. 3. Alia tamen de causa *Richei* contendit in Quer. inoff. nullam Fictionem sed solam probabilem veritatem locum habuisse; omnibus autem illis argumentis, quibus *Richejus* fuit usus, mihi multo magis admirandam suam eruditionem quam rei probabilitatem demonstrasse videtur. Neque hic repetere vellem, quae jam attuli, cum de Fictionum natura egerim. Ipsius Sophoclis exemplum, quod *Richei*, p. 95., adducit, optime hanc sententiam refutare poterit, v. illud apud *Cic. de Sen.* c. 7.
 Num autem illa Fictio insanæ a Justiniano, in *Nov. CXV. c. 3.* & in *autb. ex cauf. de lib. præt.*, male sub eo titulo posita (1), sit abolita non inter se convenient Interp. Illud negant *Viglius*, *Marcilius*, *Mynsingerus* & *Vinnius*, *in Comm. ad T. J. de inoff. test.* — Verius autem id affirmare videntur *Bartolus*, *ad l. 13. π. de inoff. test. Huber*, *ad T. π. de inoff. test. n. 4.*, *Schulting*, *ad Val. Max. p. 552.*, *Bynkersh.*, *Obs. II. C. 12.*, *Heinec.*, *ad d. l. Vinnii & Le Pla*, *ad d. l. Huberi*. Et sane illa inutilis videtur, cum ipsa Lex rei formam det. Ita enim aliquid in Jure non oculi et mox minima connotatio est in iure semi Roma-

(1) v. *Woddt*, *in Comm. ad T. π. de inoff. test.*, versus hoc fore inatio-

Romano insolitum, si non plane absurdum, locum haberet. Nimirum sic lex nova Justiniani patrem revera sanum, sed qui per Fictionem J^ctorum *credebatur insanus*, rursus fingeret sanum. Et sic nihil fingeretur, nisi quod erat; Hoc autem ipsi Fictionum Naturæ quam maxime repugnare supra jam vidimus. Pulcherrime hanc sententiam illustrare posset exemplum notissimi coloris a Labeone inventi, quem postea constitutiones (verosimiliter Divi Pii) aboleverunt. v. *Noodt, de Foen. L. III. C 6.*, & *Heinec., in Jurispr. Cav. Opusc. Min. p. 316.*

Ad Fictiones Jurisctorum etiam pertinet notissima illa Fictio, qua pater & filius pro una persona habentur, quam male Fictionem Legis appellavit *Altes.*, *Tr. de Fict. I. C. 10.* Hujus Fictionis fundamento Clarissimus *Noodt*, egregius ille Juris Rom. interpres, facultatem testamentariæ tutelæ patri a Lege XII. Tabb. concessam fuisse suspicatur, v. *Obsf. L. II. C. 19.* Hoc tamen inventum ab illis Tabulis magis alienum esse videtur, v. *Brenckman. de Eurem. Diatr. C. 1. §. 15.* Plurima autem, quæ ex hac Fictione elicit *Alteserra d. l.*, ab aliis Juris Constitutionibus potius proficiscuntur. Hæc sufficient de æquissimis J^ctorum inventis.

Hac autem occasione mihi quoddam exemplum proferre liceat quo constare possit, quam inconsulto omnes illas criminaciones in J^ctos plerumque proferre soleant Viri Docti, sive nimium festinantes, sive quodam odio in transversa rapti.

Novimus inter illas criminaciones minimum locum vulgo non obtinere antiquorum J^ctorum subtilitatem, disensem & exinde ortam verbos itatem. Hæc satis atro colore *Heineccius* ubivis depictum.

pinxit; Sic in *Ant. Rom. Synt. Prooem.* §. 25., &, ut solet (1), pa-
sim alibi scribit, *Eunapii auctoritate usus, I]Ctorum librorum fuisse*
ως αν αχθος καρηλων πολλων, onus multorum camelorum. Non parva
tamen animi perturbatione commovebar, cum ex ipso *Eunapio*
intelligerem totum hoc esse fictitium. *Eunapius*, enim in *Vita Aed.*, *Ed. Genev. a. 1616.*, p. 61., indicat, Antonini
Scholæ discipulos a vera Philosophia defecisse non jam ut
ante, virtuti sed pecuniæ litasse, ut simularent Philosophiam. Erat
illis Philosophia τριβωνιον και το μεμνησθαι Σωτιπατρας. Και τον Ευσα-
θιον δια σοματος Φερει τα δε εν τοις ὁρωμενοις σακκιοι τε αδρα και ὑπομενα
βιβλαιων και ταντα ως αν αχθος ειναι πολλων καρηλων. Hi autem Libri
erant διατηναι τε και αντιγραφα τετων και συμβολαια και περι πρωτεων,
non autem hoc loco, Responorum aliorumve Librorum Veterum
I]Ctorum meminit. Neque aliquid mirum est, exempla testa-
mentorum contractuum & omnium illorum, quæ ad venditiones
pertinent multorum camelorum onus esse. An hæc autem ad
vitia I]Ctorum Romanorum pertineant, nunc videat Lector.

Quamvis ex iis, quæ de Fictionum Juris Civ. Rom. origine,
causis & indeole haec tenus disputavimus, jam satis pateat, opti-
ma illa ἐνεργητικα non satis laudanda esse, tamen hic breviter
nonnulla de Fictionum Juris Civ. Rom. Utilitate, Concinnitate
& Æquitate subjiciam, ut eo facilius omnes illas calumniatorum
accusationes complecti possim.

Quum supra *Titii* definitionem exploraremus, vidimus, illum
V. Cl. sibi quamdam definitionem Fictionum illarum fabrica-
tum fuisse, cui, tanquam fundamento, tota ipsius disputatio

innī

(1) Sibi tamen prælivisse *J. Gothofred. Prot. Cod. Theod. C. I.* p. 213
ndicavitpo stea Hein., *H. J. L. I.* §. 376. Schol.

innititur; Præcipue enim contendere laborat, Fictiones apud Romanos *ultra* introductas fuisse, nullam utilitatem, nullam adeo necessitatem eas postulasse, cum in omnibus constitutionibus, ubi Fictiones obtinent, melius abessent; ubi vero non obtinent, etiam facilime adesse possent. Hinc illarum *indifferentiam* manifesto sequi putavit (1). Ex hac, postea in fine Diss. earum inconcinnitatem derivare voluit. Vid. §. 73.

Verum enimvero omnes Fictiones, quibus Juris necessarius rigor semper leviri debet, soli æquitati, uti vidimus, suam debent originem. Propriæ autem illæ causæ, quæ Fictiones apud Romanos cum maxime progenuerunt, a veræ Politices ratione proficicebantur. Ipsum enim populi ingenium & mores, ipsa Juris & regiminis conditio easdem illas efflagitabant, quas introductas fuisse novimus. Num igitur illa *hypotheta*, quibus omnes moratae gentes usæ fuerunt, ut rigida legum præcepta lenirentur & æquitas ubivis restitueretur, apud solos Romanos, æquitatis laude celeberrimos, erunt inutilia? Non facile crediderim. Neque hic quidquam probare videntur allata exempla. Sic enim, ut eodem utar exemplo, ante Postliminium & Legem Corneliam, quod ad civium Romanorum captivitatem, omnia erant incerta. Hoc solum certum esse videbatur, illi, qui in hostium servitutem esset redactus, Jus Rom. Civitatis concedi non posse. Quam misera fuisset embryonum conditio, si Fictiones, utpote inutili, sumuntur, subiectioq[ue] respondeat hanc expositio[n]em,

(1) Quas etiam erroris participem fuisse Ottomem, doleo. vid. *Ott. Diff. Jur. Pub. & Priv.* p. 536.

les, apud Romanos non fuissent admittendæ; Naturæ leges enim mutare ne ipsis quidem Diis fuit datum. Fictiones igitur legislatoriæ prudentiæ non adversantur, quod male contendit *Titius* §. 73.; Ubi tamen Fictionum ope, videmus, Romanos non indiguisse, profecto illarum auxilium merito non imploraverunt. Cum enim leges nihil iniqui habeant, quapropter hoc commento uterentur Legum latores aut Interpretes? Illud Legislatoriæ prudentiæ adversaretur. Non *indifferens* itaque erit, num Fictiones adhibeantur, nec ne. Si enim rerum conditio non obstat æquitati, nec sua vi nec propter subtilitatem juris, Fictiones erunt inutiles & inconcinnæ; si autem illa æquitati ita obstat, illæ erunt utiles, neque inconcinnæ. Sic enim ipsi legi, quæ propter suam applicationem communi saluti, quam promovere debebat, ipsa noceret, suam animam, ut ita dicam, Fictiones reddunt, animam enim legis Cicero vocat æquitatem. Nescio, quid utilius hominum societati hac ratione excogitarent illi vitio creati censores; neque tamen diffiteor, eas Fictiones, quæ Romano Juri apprime conveniebant, in nostrum jus non facile posse transferri; hoc tamen illarum utilitatem suspectam non reddit, cum necesse sit, ut omnia illa *euonymata*, pro ratione cuiusque populi differant; quippe quæ propter causas cuique populo magis proprias introducta fuerunt. Omnium quidem populorum leges hisce cautionibus necessario indigent, non tamen omnes eodem modo; dummodo illis summum jus leniatur sine detrimento publicæ salutis, singulæ ab æquitate proficiscuntur, nec adeo inutiles esse possunt.

Cum igitur Fictiones Juris Civ. Rom. inutiles dici non possint,

58 PERICULUM OBSERV. APOLOGETICARUM

sint, etiam corruet omnis argumentatio de earum *Inconciinitate*. Id ipsa Titii verba, §. 73., qua brevi§ totam inconciinitatis demonstrationem absolvit. Vir. Cl., aperte indicant; Scribit enim: *Id, quod plane nullam habet utilitatem, rem vero planam ac cognitu necessariam involvere ac ineptiis ansam præbere potest, id prudentiæ legislatoriæ adversum ac ideo inconcinnum censeri debet.* Atqui vidimus, Fictiones esse utilissima inventa, ergo etiam sunt concinna. Non nego, varias valde inconciinas Fictiones adinventas esse a Glossatoribus aliisque; Non nego, valde inconciina esse Brocardica, quibus Fictionum naturam explicant haud pauci Doctores, inconciinas esse illorum difficultates & dissidia. De veris autem & genuinis Fictionibus, quarum indolem indagare conati fuimus, quam maxime illud negarem; Sive enim infelices captivos, sive deceptos creditores, sive denique partus in utero materno absconditos respiciamus, quam pulchre, quam concinne iis opitulari videmus optima illa εὐερματα; Hæc multis exemplis probare possem; V. C. quod in Fictione postliminii ea, quæ facti sunt, non revocentur, quod Publiciana Fictio detur solum contra deteriori Jure possidentes, quod partus solummodo editus fingatur, cum de ejus commodo quæratur. Sed quid multa? Hæc omnia in oculos satis incurunt, nisi cæcutire malimus.

Quod vero Æquitatem Fictionum Juris Civ. Rom. spectat: supra jam demonstravimus illi ipsi suam originem debere. Quomodo igitur erunt iniquæ? Num ex limpido fonte impurus erit haustus? Sane Fictiones ipsæ Æquitatis Rom. Jurisprudentiæ non leve præbent argumentum. Attamen contendunt Gunzerus, in

diff.

*diff. de Fict. §. 3., & Stützingius, diff. de eodem arg. C. III. §. 3., Bartolum aliosque Vett. secuti, Fictiones Juri Naturæ repugnare, sed aperto errore. Quæ enim æquitatem in legibus restituunt, quæ nullum rationis præceptum violent, quomodo illa Juri Naturæ adversari possunt dici? Num vero Jure Naturæ obtinuerint vehementer dubitarem (1). Illud tamen Fictionum præstantiam non minuit. Simul atque enim Civitas coaluit, Legesque scriptæ sunt, ipsæ Fictiones etiam obtinuerunt. Ut adeo dicere possimus, Jure Naturæ hypothetico, quod vocant, illas demum obtinuisse. Nec misus erat A. Matthæus, *disp. Fund. VII. Tb. 23.*, qui Fictiones Juri divino contrarias esse contendit, atque in illum finem sacri Codicis auctoritate abutitur, v. Otto, *diff. inem. p. 536*. Hæc enim Matthæus judicio non satis firmato scripsisse jure videtur *Titio*, d. l. §. 71. Maxima enim inter Fictionem & Mendacium intercedit differentia. D. F. Hoheisel, virum doct., in *Diff. de Fict. Jur. in cerebro Jct. natis atque e fana Jurisprudent. eliminandis melioribus argumentis usum fuisse* scribit Clar. Eisenhart, in præf. ante novam *Alteserræ* editionem: cum tamen omni opera hunc librum mihi compare non potuerim, his supercedere mallem, præsertim cum *Tob. Jac. Reinhardtium* etiam hujus obtestationibus satisfecisse, ex eodem *Eisenbartio* (*ibid.*) intellexerim.*

(1) Illi qui cum Wolfio, Heineccio & aliis consensum præsumunt adeo facile in quamplurimis statuunt, reapse consensum fingunt, ubi nullus est. In doctrina Juris Nat. Fictiones adhibuit Pufendorff, L. II. de I. N. & G. C. 2. §. 2., & de off. b. & c. L. II. C. 1. §. 6. & defendit in *Erida Scandica* p. 26. & 284.

QUÆSTIONES.

- I. Quamvis non putem Fictiones a Jure Naturæ proficiisci, illi tamen non adversantur.
- II. Fictiones Juris Civilis Romani æquitati suam debent originem.
- III. Dantur Fictiones Legis, dantur etiam Prætoriæ.
- IV. Color insaniæ in Querela inofficiosi vera est Fictio, non autem Præsumtio.
- V. Illam tamen Justinianus per Novellam CXV. C. 5. aboleviſſe videtur.
- VI. In L. 6. §. ult. π. ad Leg. Jul. pecul. nihil immutandum esse putarem.
- VII. Consobrinorum nuptiæ Jure Justinianæo sunt licitæ.
- VIII. Mulieres, quæ partum sibi abegerant, ante tempora Severi & Antonini nulla pena coercitæ fuisse videntur.
- IX. Post illa autem temporali tantum exilio punitæ fuerunt.
- X. Præsides non habuerunt jus deportandi, nisi illis specialiter concessum sit.
- XI. Condictio furtiva datur adversus furis hæredes in solidum, quamvis nihil ex re furtiva ad eos pervenerit.
- XII. Status naturalis hominum oppositus statui civili non est fictio duntaxat, sed & exsistit ante civitates constitutas, & exsistit, ubi nulla civitas est, & inter gentes diversas.
- XIII. Nec tam misera necessario vita vivitur in statu naturali, quamvis fuit Hobbesio ac Pufendorfio.
- XIV. Neque in illo brutis omnino similes homines ac feri statuendi sunt, quales olim fixerunt Lucretius & Horatius, & nostra ætate, Rousseau.